


I Sermones del corpus di Vienna ÖNB MS LAT. 4147

a cura di
Paola Marone

"Ager Veleias", 15.08 (2020) [www.veleia.it]

INTRODUZIONE	3
ABBREVIAZIONI	9
<i>Sermo Wiennensis 1</i>	11
<i>Sermo Wiennensis 2</i>	13
<i>Sermo Wiennensis 3</i>	14
<i>Sermo Wiennensis 4</i>	16
<i>Sermo Wiennensis 5</i>	18
<i>Sermo Wiennensis 6</i>	20
<i>Sermo Wiennensis 7</i>	22
<i>Sermo Wiennensis 8</i>	24
<i>Sermo Wiennensis 9</i>	26
<i>Sermo Wiennensis 10</i>	29
<i>Sermo Wiennensis 11</i>	30
<i>Sermo Wiennensis 12</i>	32
<i>Sermo Wiennensis 13</i>	34
<i>Sermo Wiennensis 14</i>	36
<i>Sermo Wiennensis 15</i>	38
<i>Sermo Wiennensis 16</i>	39
<i>Sermo Wiennensis 17</i>	41
<i>Sermo Wiennensis 18</i>	43
<i>Sermo Wiennensis 18B</i>	44
<i>Sermo Wiennensis 19</i>	45
<i>Sermo Wiennensis 20</i>	47
<i>Sermo Wiennensis 20B</i>	48
<i>Sermo Wiennensis 21</i>	50
<i>Sermo Wiennensis 22</i>	52
<i>Sermo Wiennensis 23</i>	54
<i>Sermo Wiennensis 24</i>	56
<i>Sermo Wiennensis 25</i>	58
<i>Sermo Wiennensis 26</i>	60
<i>Sermo Wiennensis 27</i>	62
<i>Sermo Wiennensis 28</i>	64
<i>Sermo Wiennensis 29</i>	66
<i>Sermo Wiennensis 30</i>	68
<i>Sermo Wiennensis 31</i>	70
<i>Sermo Wiennensis 32</i>	72
<i>Sermo Wiennensis 33</i>	74
<i>Sermo Wiennensis 34</i>	75
<i>Sermo Wiennensis 35</i>	76
<i>Sermo Wiennensis 36</i>	77
<i>Sermo Wiennensis 37</i>	79

Sermo Wiennensis 38	80
Sermo Wiennensis 39	81
Sermo Wiennensis 40	83
Sermo Wiennensis 41	85
Sermo Wiennensis 42	87
Sermo Wiennensis 43	89
Sermo Wiennensis 44	91
Sermo Wiennensis 45	93
Sermo Wiennensis 46	94
Sermo Wiennensis 47	96
Sermo Wiennensis 48	98
Sermo Wiennensis 49	100
Sermo Wiennensis 50	102
Sermo Wiennensis 51	104
Sermo Wiennensis 52	106
Sermo Wiennensis 53	108
Sermo Wiennensis 54	110
Sermo Wiennensis 55	112
Sermo Wiennensis 56	114
Sermo Wiennensis 57	115
Sermo Wiennensis 58	117
Sermo Wiennensis 59	119
Sermo Wiennensis 60	121
Frequenza dei singoli lemmi	125
Frequenza delle sequenze di due lemmi	173
Frequenza delle sequenze di tre lemmi	209
Frequenza delle sequenze di quattro lemmi	219
Frequenza delle sequenze di cinque lemmi	223



[MS lat. 4147, f. 12]

INTRODUZIONE

In questi ultimi decenni già diversi studiosi si sono confrontati con i 60 *Sermones* contenuti nel manoscritto *MS lat. 4147* della Biblioteca Nazionale Austriaca (Österreichische Nationalbibliothek) scoperto nel 1990 da François-Joseph Leroy¹. Alcuni hanno cercato di collegare questi 60 *Sermones* allo scisma provocato a Cartagine dall'elezione di Maggiorino², facendo leva sul fatto che effettivamente il *Sermo* 39 contiene degli elementi tipici della cultura donatista (v. p.es. *traditores vero nec ovibus nec pastoribus parant* appunto nel *Sermo* 39)³. D'altra parte il passo biblico di Sir. 35,21, che è riportato nel *Sermo* 36 con la lezione *Deus (Oratio humiliantis se nubes penetrat et non desinit donec aspiciat Deus)* e nel *Sermo* 60 con la lezione *altissimus (Oratio humiliantis se nubes penetrat et non desinit donec aspiciat altissimus)*, lascia pensare che il *corpus* di Vienna sia il risultato di più redazioni⁴ e che l'impronta donatista che poteva avere inizialmente sia stata cancellata in un secondo tempo quando la situazione della Chiesa era profondamente cambiata. Certamente è possibile che i *Sermones Wiennensis* siano stati elaborati nell'Africa Romana, del resto presentano anche delle analogie con la *Vetus Latina* utilizzata da Cipriano⁵, ma è poco credibile che avessero una funzione catechetica e fossero rivolti a quei donatisti che erano in attesa del secondo battesimo⁶, non fosse altro perché la pratica del secondo battesimo non ebbe

¹ Cfr. *MS lat. 4147 Ö.N.B.* sul web all'indirizzo <http://data.onb.ac.at/rep/1001A3DA>; cfr. anche F.-J. Leroy, «Les sermons africains pseudo-augustinien Caillau S. Y. I, 46 et Scorialensis 19 (Chrysostomus Latinus) sur l'épisode de Zachée (Lc 19)», *Wiener Studien* 106 (1993), pp. 215-222; Idem, «Comment travaille un éditeur patristique parisien du XVI^e siècle? Le P.G. Tilmann, chartreux, et les Chrysostomi Opera de Chevallon en 1536. Sondage dans la collection Arsenal du Chrysostome Latin», *Sacris Erudiri* 35 (1995), pp. 45-53.

² Sullo scisma donatista cfr. *Donatism. Online Dynamic Bibliography* sul web all'indirizzo <https://www.zotero.org/groups/donatism>.

³ Cfr. PLS 4, c. 708; cfr. anche J.S. Alexander, «Criteria for Discerning Donatist Sermons», *Studia Patristica* 38 (2001), pp. 3-7; F.-J. Leroy, «L'homilétique africaine masquée sous le Chrysostomus Latinus, Sévérien de Céramussa et la catéchèse donatiste de Vienne», *Revue d'histoire ecclésiastique* 99 (2004), pp. 425-434; E. Zocca, «La voce della dissidenza: omiletica donatista fra testo, contesto e metatesto», *Auctores nostri. Studi e testi di letteratura cristiana antica* 14 (2014), pp. 337-354; A.L. Bass, *Fifth-Century Donatist Catechesis: An Introduction to the Vienna Sermon Collection ÖNB M. Lat. 4147*, Saint Louis University 2014; M.A. Tilley, «Donatist Sermons», in A. Dupont - S. Boodts - G. Partoens - J. Leemans (eds.), *Preaching in the Patristic Era. Sermons, Preachers, and Audiences in the Latin West, A New History of the Sermon 6*, Leiden 2018, pp. 373-402; J. Meyers, «Vingt-deux sermons donatistes du temps d'Augustin encore trop méconnus: les "inédits" de la catéchèse de Vienne révélés en 1994 par François-Joseph Leroy. À propos d'un nouveau projet du GRAA», *Commentaria Classica* 6 (suppl.) (2019), pp. 131-145; *Les Sermons donatistes de la catechese de Vienne, Journées d'études du GRAA à la mémoire de Jean - Noël Michaud (1938-2018) 14-15 juin 2019* (in corso di stampa).

⁴ Sul termine *Deus* di Sir. 35,21 cfr. *MS 4147*, f. 77; e sul termine *altissimus* di Sir. 35,21 cfr. *MS 4147*, f. 118.


⁵ Si pensi a Io. 5,15 che ricorre nei *Sermones Wiennensis* 2, 29, 42, 53, 56 con le parole *Ecce sanus factus es, iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat* come in Cipriano (*Ep.* 13,2) e in modo diverso dalla *Vulgata* (*Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*), e si consideri anche Io. 15,14 che compare nei *Sermones Wiennensis* 38, 43 e 44 con le parole *si feceritis quae mando vobis* in modo conforme a Cipriano e in modo diverso dalla *Vulgata* (*si feceritis quae ego praecipio vobis*).

⁶ In particolare Bass (*Fifth-Century Donatist Catechesis*, pp. 82-90) ha ipotizzato che i 60 *Sermones* del *corpus* di Vienna avessero una funzione catechetica e fossero rivolti ai donatisti in attesa del secondo battesimo.

mai una grande diffusione nella Proconsolare⁷.

Finora solo 22 dei 60 *Sermones Wiennensis* sono stati pubblicati⁸, ma gli altri 38, che sono in gran parte coincidenti con dei *Sermones* dello Pseudo-Crisostomo e dello Pseudo-Agostino, li possiamo leggere nei volumi della Patrologia Latina (PL 39, PL 95, PLS 2, PLS 4), tenendo conto delle correzioni apportate da Étaix⁹ e Verbraken¹⁰. Dunque, in attesa che venga portata a termine un'edizione critica, riproponiamo in questo contesto tutto il materiale finora pubblicato con una generale armonizzazione dell'ortografia. Nello specifico abbiamo usato sempre la lettera *i* al posto della semiconsonante *j*, la lettera *v* al posto della semiconsonante *u*, la sillaba *tium* al posto della sillaba *cium*, abbiamo riportato i nomi *Heva*, *Helisaeus*, *Helia* sempre senza la lettera *h* e i nomi *Deus*, *Dominus*, *Scriptura* sempre con la maiuscola, e abbiamo usato sempre l'avverbio *numquam* per *nunquam*, il pronome *quicquid* per *quidquid* e il nome *Aegyptus* per *Egyptus*. Inoltre di questi 60 *Sermones* anonimi, che sono formati da 53948 parole, di cui 12950 diverse tra loro, abbiamo individuato la frequenza dei singoli lemmi e delle sequenze di due tre quattro e cinque lemmi.

Da questi dati emerge chiaramente che il *Sermo* 39, ovvero l'unico testo del corpus di Vienna di chiara matrice donatista, non ha nulla in comune con gli altri *Sermones* della stessa collezione. Invece altri 46 *Sermones* hanno in comune con uno o più *Sermones* della stessa collezione 69 sequenze di lemmi (v. tab. 1) e 16 passi biblici (v. tab. 2).




tab. 1

⁷ Sul secondo battesimo dei donatisti cfr. S. Adamiak, «Who Was Rebaptized by the Donatists, and Why?», *Journal of Late Antiquity* 12 (2019), pp. 46-64.

⁸ Cfr. F.-J. Leroy, «Les 22 inédits de la catéchèse donatiste de Vienne. Une édition provisoire», *Recherches Augustiniennes et Patristiques* 31 (1999), pp. 149-234; Idem, «Vingt-deux homélies africaines nouvelles attribuables à l'un des anonymes du Chrysostome latin (PLS 4)», *Revue Bénédictine* 104 (1994), pp. 123-147; Idem, «L'homélie donatiste ignorée du Corpus Escorial (Chrysostomus latinus, PLS IV sermon 18)», *Revue Bénédictine* 107 (1997), pp. 250-262.

⁹ Per le correzioni apportate al *Sermo* 36 cfr. R. Étaix, «Textes inédits tirés des homiliaires de la Bibliothèque capitulaire de Bénévent», *Revue Bénédictine* 92 (1982), pp. 324-357.

¹⁰ Per le correzioni apportate al *Sermo* 59 cfr. P.-P. Verbraken, «Le sermon ancien sur la paix du manuscrit R.II.18 de l'Éscurial», in *La Ciudad de Dios: Homenaje al P. Angel C. Vega*, Madrid 1968, pp. 142-148.



tab. 2

La maggior parte delle affinità lessicali che intercorrono tra i testi del *corpus* di Vienna si concentra nei *Sermones* 17 e 46, come si può vedere nei due brani riportati qui sotto, dove si contano ben 17 sequenze di lemmi uguali.

Sermo 17

Ita enim sunt **exempla quae** horreas, ut sunt alia quae **secteris ut** vivas: **Abel** cum a principio **ante ullius exemplum prior dedicavit martyrium**, qui quidem **optaret** in saeculo innocens vivere quam a fratre occisus in occidentis **perniciem martyrium** dedicare. Cain, cum **nec innocentiam naturae** servavit nec **pietatis iura** in fratris caede pertimuit, **perpetrat scelus quod nec ipse sciebat admittere nec frater noverat praecavere**. Gerit diabolus totum; volente eo qui fecit qui iam **parentes fecerat peccatores**; consentit et Cain hosti quando **de parentum casu** debuerit **execrari**, ut **uterque reatus crimen incurreret**, et diabolus quia **parricidium suasit**, et Cain qui **consensum persuadenti diabolo commodavit**. Solus autem Abel inter fratrem et diabolum, inter parricidam et hostem, inter suadentem et factorem purus atque innocens **perseverat**. Fit enim Abel sanctissimus **sacerdos et victima, immolator et hostia, antistes et holocausta**. Ut enim sancto Deo **hostias immolabat**, ita sancta hostia Deo ipse meruit immolari.

Sermo 46

Habes **exempla quae secteris** ut vincas: quia **Abel** in principio **ante ullius exemplum prior dedicavit martyrium**, qui quidem **optaret** innocens in seculo vivere quam a fratre occisus in occidentis **perniciem martyrium** dedicare. Cain enim **nec innocentiam naturae servavit**, et **pietatis iura** in caede fratris corripit. **Perpetrat scelus quod nec ipse sciebat admittere nec frater noverat praecavere**. Gerit diabolus totum, qui iam **parentes fecerat peccatores**. Gerit, inquam, diabolus totum: sed **consentit Cain hosti**, quem **de parentum casu** debuerat **execrari**, ut **uterque reatus crimen incurreret**, et diabolus, qui **parricidium suasit**, et Cain qui **assensum persuadenti diabolo commodavit**. Solus autem Abel sanctissimus inter fratrem et diabolum, inter parricidam et hostem, inter persuadentem et factorem purus atque integer **perseverat**. Fit enim Abel innocens, gloriosus **sacerdos et victima, immolator: hostia, antistes et holocausta**. Ut enim sancte atque innocenter Deo **hostias immolabat**, ita **sancta** atque innocens **hostia Deo** summo effectus est.

Altre affinità lessicali in comune tra due o più *Sermones* del *corpus* di Vienna riguardano 52 sequenze (v. tab. 3), che vanno da brevi espressioni di 4 lemmi come *si intelligas quod mereris* (nei *Sermones* 1 e 11), fino a più ampi passaggi di 12 lemmi come *consensit, et sic vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit* (nei *Sermones* 2 e 3).

Sermones			SEQUENZE UGUALI COMPRESSE TRA 4 E 12 LEMMI
1	2		ne severum sentias iudicem
1	11		si intelligas quod mereris
1	31		digne pro meritis interiret
1	20		sic fit ut et
1	30		contendit ut placeat, ut promereatur instat
1	17	34	Unde effectum est ut
2	3		consensit, et sic vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit.
2	56		qui post veniam peccat... ingratus est, qui datorem
2	4		inter mulierem et serpentem
3	19		Deus et contemnitur, persuadet diabolus et auditur.
4	29	31	Nemo se fallat, nemo se decipiat:
5	58		Nec enim fas erat ut
5	22		Gaudent omnes, cuncti laetantur
6	26		enim alienum est quod
11	20B		Christiane, convenio, tua obsequia quae promittis exquiro.
11	44		Nos peccavimus et Christus
12	20B	41	Et factum est, inquit, cum
12	58		qui aliud quam quod
13	53		cura est ubi medicina
15	32		O veneranda pietas Dei
15	31		contempsit ut delinqueret et
15	19		Rape tu quisquis es
16	17		qui peccatis non erubuit
16	31		peccator, quod Deo teste
16	32		ante praestruit ne condemnet
16	60		veniam posse mereri nisi
17	28		contempsit, nemo nisi demens contraria appetivit.
18	36		ipse Dominus Christus, cui... gloria in saecula saeculorum
19	38		in vitam non in mortem
20	20B		Compensat enim quod facit qui
20B	54		in dona Dei totum quod habuit misit
21	42		per Christum Dominum nostrum
23	34		praeterire ut dum ista
23	36		Hoc enim modo et
29	48		Quare dum licet, dum tempus est
29	56		necesse est peccatoribus destinata supplicia exhiberi
31	50		quia gravius est quod
33	34		Crudelitas eius possidet mentem, saevitia immutat voluntatem... non licuit esse intactos... de fornace iustos procedere, precatur de igne Dei famulos prosilire
35	52		sola est, inquam, quae
36	52		cum Deo, cum Christo
43	44		amicus esse non poterit... corpus induit, crucem pertulit
45	60		quod natura non dederat
48	52		Nam si inter homines
50	52		Apostolus Paulus loquitur dicens
52	57		habere non possunt, quid
52	58		nec enim quisquam poterit fidei
55	58		Contra te est bellum, contra te
55	60		Et factum est, inquit

tab. 3

Alcune delle sequenze di almeno quattro lemmi che figurano in due *Sermones Wiennensis* sono inserite in contesti che presentano solo lievi differenze formali, come *sanguinem fudit* (*Sermo* 44) per *perimitur* (*Sermo* 11), *inquinari* (*Sermo* 17) per *coinquinari* (*Sermo* 16), o anche *immutat saevitia* (*Sermo* 34) per *saevitia immutat* (*Sermo* 33) (v. tab. 4).

Sermo	SEQUENZE SIMILI	Sermo	SEQUENZE SIMILI
11	Nos peccavimus et Christus perimitur	44	Nos peccavimus et Christus sanguinem fudit
13	Insanabilis cura est ubi medicina	53	Difficilis cura est ubi medicina
16	Quid erubescit fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari?	17	Erubescit in confessione mundari qui peccatis non erubuit inquinari!
16	Quid enim celat peccator, quod Deo teste commisit?	31	Frustra celas, peccator, quod Deo teste fecisti
18	ipse Dominus Christus, cui est gloria in saecula saeculorum	36	ipse Dominus Christus, cui sit gloria in saecula saeculorum
19	hominem enim in vitam non in mortem constituit	38	in vitam non in mortem , a principio constituit homines
33	Crudelitas eius possidet mentem, saevitia immutat voluntatem... Rogat de fornace iustos procedere, precatur de igne Dei famulos prosilire.	34	Crudelitas eius possidet mentem, immutat saevitia voluntatem... Rogant de fornace iustos procedere, precatur de igne Dei famulos prosilire.
52	Nec enim quisquam poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare.	58	Nec enim quisquam poterit fidei percipere praemia, nisi qui eius amaverit gloriosa officia.

tab. 4

In tal senso emerge un evidente legame tra i *Sermones* 11 e 44, 13 e 53, 16 e 17, 16 e 31, 18 e 36, 19 e 38, 33 e 34, 52 e 58, dove con una terminologia simile viene più volte ribadita la condizione peccatrice dell'uomo (v. p.es. *Nos peccavimus* nei *Sermones* 11 e 44; e *qui peccatis* nei *Sermones* 16 e 17) e l'azione salvifica di Cristo (v. p.es. *Christus perimitur/sanguinem fudit* nei *Sermones* 11 e 44; e *ipse Dominus Christus, cui est/sit gloria in saecula saeculorum* nei *Sermones* 18 e 36).

Infine a proposito delle affinità lessicali che intercorrono in particolare tra i testi biblici citati nel *corpus* di Vienna, si distinguono 16 versetti sia dell'Antico Testamento (Gen. 3,9; 3 Reg. 17,1; Ps. 105,1; Sir. 35,21; Ez. 18,32; Mal. 3,7) che del Nuovo Testamento (Mt. 5,44; Mt. 5,48; Mt. 19,17; Mt. 21,22; Mt. 24,48; Mt. 25,34; Mt. 25,41; Io. 5,14; Io. 15,14; Io. 16,20) usati contemporaneamente in più *Sermones* (v. tab. 5). Sono presenti in due *Sermones*: Gen. 3,9 (nei *Sermones* 2 e 19), 3 Reg. 17,1 (nei *Sermones* 23 e 58), Sir. 35,21 (nei *Sermones* 36 e 60), Ez. 18,32 (nei *Sermones* 32 e 38), Mal. 3,7 (nei *Sermones* 32 e 38), Mt. 5,44 (nei *Sermones* 55 e 59), Mt. 5,48 (nei *Sermones* 53 e 55), Mt. 21,22 (nei *Sermones* 36 e 60), Mt. 24,48 (nei *Sermones* 41 e 53), Mt. 25,34 (nei *Sermones* 48 e 56), Mt. 25,41 (nei *Sermones* 48 e 56), Io. 16,20 (nei *Sermones* 16 e 46). Sono usati in tre *Sermones*: Io. 15,14 (nei *Sermones* 38, 43 e 44) e Mt. 19,17 (nei *Sermones* 29, 38 e 57). Infine sono inclusi in cinque *Sermones*: Io. 5,14 (nei *Sermones* 2, 29, 42, 53, 56) e Ps. 105,1 (nei *Sermones* 15, 16, 17, 18 e 19). Sicuramente è significativo che Mt. 25,34 e Mt. 25,41 compaiano nei *Sermones* 48 e 56 separati sempre dalle parole “*Et iterum contra*”, e che Mal.

3,7 e Ez. 18,32 compaiano nei *Sermones* 32 e 38 separati sempre dalle parole “*Et iterum*”. Analogamente non sembra casuale che nell’ambito delle citazioni bibliche di Gen. 3,9; 3 Reg. 17,1; Mal. 3,7; Mt. 5,44; Mt. 5,48; Mt. 19,17; Mt. 21,22 il termine “*inquit*” venga collocato sempre dopo gli stessi termini (*Ubi es, inquit...*; *Vivit, inquit...*; *Revertimini, inquit...*; *Diligite, inquit...*; *Eritis, inquit...*; *Si vis, inquit...*; *Quicquid, inquit...*), così come nell’ambito di Sir. 35,21 il termine “*inquam*” compaia sempre tra “*oratio*” e “*humiliantis*” (v. tab. 5).

PASSI BIBLICI		<i>Sermones</i>				
Gen. 3,9	<i>Ubi es Adam?</i>	2	19			
3 Reg. 17,1	<i>Vivit Dominus, erit his ros aut pluvia nisi per verbum oris mei</i>	23	58			
Ps. 105,1	<i>Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius</i>	15	16	17	18	19
Sir. 35,21	<i>Oratio humiliantis se nubes penetrat et non desinit donec aspiciat Deus/altissimus</i>	36	60			
Ez. 18,32	<i>Nolo mortem morientis, tantum revertatur et vivat</i>	32	38			
Mal. 3,7	<i>Revertimini ad me et revertar ad vos</i>	32	38			
Mt. 5,44	<i>Diligite inimicos vestros et orate pro eis qui vos persequuntur</i>	55	59			
Mt. 5,48	<i>Eritis et vos perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est</i>	53	55			
Mt. 19,17	<i>Si vis in vitam venire, serva mandata</i>	29	38	57		
Mt. 21,22	<i>Quicquid credentes petieritis, continget vobis a patre meo qui in coelis est</i>	36	60			
Mt. 24,48	<i>Si autem dixerit servus ille nequam in corde suo: Tardat Dominus meus venire, incipiat caedere conservos suos</i>	41	53			
Mt. 25,34	<i>Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi</i>	48	56			
Mt. 25,41	<i>Discedite a me maledicti in ignem aeternum quem paravit pater meus diabolo et angelis eius</i>	48	56			
Io. 5,14	<i>Ecce sanus factus es iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat</i>	2	29	42	53	56
Io. 15,14	<i>Vos amici mei estis si feceritis quae mando vobis</i>	38	43	44		
Io. 16,20	<i>Vos plorabitis et plangetis, seculum autem gaudebit. Vos tristes eritis, sed et tristitia vestra in laetitiam veniet</i>	16	46			

tab. 5

ABBREVIAZIONI

Étaix = R. Étaix, «Textes inédites tirés des homiliares de la Bibliothèque Capitulaire de Bénévent», *Revue Bénédictine* 92 (1982), pp. 324-357.

Leroy = F. Leroy, «Les 22 inédits de la catéchèse donatiste de Vienne: Une édition provisoire», *Recherches Augustiniennes* 31 (1999), pp. 149-234.

Verbraken = P. Verbraken, «Le sermon ancien sur la paix du manuscrit R.II.18 de l'Éscurial», *La Ciudad de Dios* 181 (1968), pp. 563-566.

PL = *Patrologia, Series Latina*, ed. J.-B. Migne, Paris 1844-1864.

PLS = *Patrologiae Latinae Supplementum*, ed. A. Hamman, Paris 1958-1974.

Sermo Wiennensis 1
De Genesi et de dignitate humanae condicionis
(PL 95, 1205-1208)

[c. 1205] Dignitas humanae originis facile agnoscitur, considerata sublimitate auctoris. Neque enim facile poterat esse vel leve quod manus sacra confinxit et coelestis manus in vitalem substantiam animavit, maxime cum idem artifex Deus potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus, ut quem secundum praesidem post se facere disponebat, eundem faceret plenum atque perfectum, habentem in se et dignitatem qua praecelleret, et potestatem qua [c. 1206] cunctis animantibus imperaret, soli serviens illi a quo ei cuncta fuerant subiugata, ut imperaret mundo, serviret Deo. Creatorem suspiceret, creaturam sibi parere compelleret, tantumque ditionis sese Domino debere prospiceret, quantum ipse a creatura exigeret, habens in propria potestate et obedientiam et contemptum, obedientiam qua viveret, contemptum quo digne pro meritis interiret. Unde effectum est ut contemnendo in mortem incideret, qui obediendo vivere posset. Unde potestatem concessam dum in contemptum protulit, et vitae privilegium perdidit, et mortis sibi sententiam acquisivit. Et tamen adhuc creatura eius servat imperium, licet ipse Creatori suo denegaret obsequium. Unde apparet quid suae felicitati detraxerit, cum peccatorum merita eius statum adhuc mutare non possunt. Gravaris, homo, iuste gravaris, et inexcusabili poena astringeris. Contemnis Creatorem, et eius imperas creaturae. Despicias Dominum, et de eius creatura exigis obsequium. Beneficiis Dei perfrueris, et eius potentiam non extimescis. Et cum tibi per eum cuncta deserviant, solus ipse illi non servis. Bis delinquis, o homo, et geminum ac duplex crimen incurris, dum nec pro conditione ut servus obsequeris, nec pro potestate data Domino famularis. Tibi coelum in die lucis splendore vestitur et solis fulgoribus decoratur, in nocte clarissimo lunae speculo et astrorum fulgore vario polus ipse illustratur, ut diei noctisque vicissitudine et numerositas temporum dignoscatur, et post diurnum laborem requies miseris mortalibus praebeatur. Tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt silvae, amoenantur campi, prata virescunt, animantia cuncta diversis usibus procreata edunt fetus, parent imperio, obsequia servant, scatent fontes, omnes fluunt, institutis terminis maria coercentur. Gaudet post hiemem verna temperies, aestatis flagrantia decoquit messes, autumnitas temulenta suas exhibet ubertates: hieme macerantur imbribus terrae: suis institutis cuncta deserviunt, solus homo Deo non servit. Quid si tibi universa natura constanter ediceret. Ego tibi a Domino rerum parere praecepta sum; ego circa te iussa implere, instituta servare, nascentia cuncta tribuere genitoris imperio iussa sum: denique pareo, obtempero, servio, et te mutato non mutor. Pareo, inquam, rebeli, obtempero procaci, deservio contemptori. Caeterum si mihi instituta mutare, iussa pervertere, necessaria denegare rerum Dominus praecepisset, creatura cuncta viduata homine remaneret, nec qui contemneret ulterius esset, quia contemptor homo digne ac merito interiret. Denique quisquis talis es, qui in hoc contemptu consistis, qui creaturae imperas et Creatori non servis, qui dominatum exerces et Dominum non agnoscis, time Dominum patientem, ne severum sentias iudicem. Corrigat te dilatio differentis, ne censura puniat iudicantis. Facile enim obsequio tuo facies Deum propitium, si conversus iam mutaveris vitium. Usurarum enim redditur quicquid dilatione temporis feneratur: nec esse iam poterit impunitum, cui mora [c. 1207] temporis non potuit dare remedium. Quid retribuam Domino? Si humana conditio genitori quid debeat, noscat, atque si

eius beneficiorum innumeram multitudinem momentis omnibus tractando intelligat, inveniet suae servitutis obsequia continuis laudibus iugi gratulatione aequare non posse. Neque enim beneficia ab eo praestita atque collata, vel modum poterunt habere, vel numerum, certe nec terminum, quippe cum nec sensus ad investigandum sufficiat, nec scientia suppetat ad laudandum: immensitas enim beneficiorum superat cogitationes sensuum, et innumera multitudo donorum vincit volubilitatem verborum. Nec si totum vitae tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes. Qua in re danda nobis est opera, ut totis viribus devotio mentis in divina obsequia exeratur, et laudum glorias os nostrum per omne tempus frequentare cogatur, non quo in istis debita compensentur, sed ut nostrae devotionis voluntas his conatibus dignoscatur, ut quicquid fragilitas detrahit ad complendum, hoc devotio conferat ad promerendum, ut iam quia vis, non quia perficis expungaris, nec quia debita compensas, sed quia parere desideras. Velle enim ipsum expungitur, quia per immensitatem rerum idipsum quod cupimus explicare non datur. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quae mihi retribuit* (Ps. 115,3)? Quaerit Propheta sanctissimus quibus meritis beneficia divina compenset, quo famulatus genere munera percepta coaequet, quibus obsequiis tantis possit muneribus respondere, quo servitutis genere innumera debeat dona et infinita beneficiorum genera comparare. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturae iura conservans, sit legum iussis obtemperans, impleat fidem, iustitiam teneat, virtutes exercent, damnet vitia, peccata repellat, semet exemplum imitantibus praebeat, quicquid gesserit parum est, quicquid fecerit, minus. Omne enim meritum breve est comparatione donorum. Numera beneficia, si potes, et tunc considera quod mereris. Cum beneficiis coelestibus tua facta perpende, cum divinis muneribus actus proprios meditare, nec dignum te iudicabis eo quod fueris, si intelligas quod mereris. Igitur de beneficiis innumeris divina in te pietate collatis elige quod libuerit unum, huic tuum compensari totum non poterit meritum. Caeterum obtunditur sensus, confunditur animus, spiritus perturbatur, ut ab homine Deus noscatur, nec humana poterunt pensari obsequia, si divina beneficia compares, et tamen de illo loquimur qui semet peccare non patitur, qui iudicium suae mentis examinans, contendit ut placeat, ut promereatur instat, ut serviat elaborat. Caeterum quem aut peccare delectat, aut propriae mentis segnitia, aut inconsiderati actus, aut vanitas vitae sic mancipat vitiis, ut sit materia delictorum, minister culparum, seminarium peccatorum, ita ut in se duplex scelus et geminum crimen admittat, et qui debita Domino servitutis non reddit obsequia, et qui innumera beneficia peccando eius pensare nititur **[c. 1208]** contumelia. Quare nitatur iustus merita propria beneficiis coelestibus coaequare, nitatur et peccator vitia quae exercebat horrere. Ille incrementis sanctae vitae increseat, hic peccata damnando, iustitiam quam non amabat exercent. Iustus ad meliora vitae proficiat, peccator corrigatur et vivat. Ille bonis tribuat salutare exemplum, hic malis ostendat correctionis remedium. Ille praemia meriti sancti exspectet, hic supplicia semet corrigendo declinet. Sic fit ut et iustus gloriam bene vivendo acquirat, et peccator correctus indulgentiam divina pietate percipiat.

Sermo Wiennensis 2

De Genesi et de Adam et Eva [et] De lapsu primi hominis
(PL 95, 1208-1210)

[c. 1208] Nemo qui [est qui] nesciat principio hominem sic a Deo plasmatum ut instrueretur prudentia, consilio formaretur, rationis capax, divina providentia redderetur. Instrueretur, inquam, prudentia qua hostis calliditatem vitaret; consilio, quo salutaria ac recta perquireret; ratione, qua Deo genitori parendum esse cognosceret. Etenim Dominus Deus videns hominem quem fecerat innocentem, instruxit, monuit et armavit, quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est prudentia, consilio, ratione, fuerat instruendus. Addidit praeterea legem qua Dei voluntatem agnosceret, et quid contemnenti evenire posset, addisceret. Qui quidem homo incautus, dum plus diabolo persuadenti quam Deo iubenti consensit, et sic vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit. Stabat Adam inter uxorem et diabolum, inter Evam et hostem, inter mulierem et serpentem. Diabolus persuadet ut noceat, Eva consentit ut pereat. Diabolus mulierem astutia fallendi circumvenit, mulier incauta serpentium virus accepit. Diabolus quod per se non potuit, per uxorem Adam protoplastum circumvenit. Adam vero per uxorem invenit interitum, quam a Deo acceperat in auxilium. Proh dolor! prospera in contrarium cedunt, utilia perniciem operantur. Denique plus Adam domesticis quam inimici iaculis laeditur, plus proprio quam hostili ense perimitur, plus mulieris quam externo gladio vulneratur. Accessit enim serpens subtilis ut falleret, et accessit, non ut viro, sed ut mulieri serpentinum virus infligeret. Accessit, inquam, ut unius consensu utrique nocere potuisset. Sed soli persuadet, quod ambobus obesset: utrisque obfuit quod unius animum malitia serpentis infecit. Denique consentiens mulier talis circa virum exstitit, qualem circa se malitiam serpentis invenit. [c. 1209] Adeo persuasa est et persuasit, infecta est et infecit, decepta est et decepit. Quae quidem mulier feritur sententia duplici, altera propria, altera communi: propria, qua filios parere in dolore praecepta est; communi, qua cum viro morti addicta est. Altera qua serpenti assensit, altera qua marito persuasit. De consensu enim in mortis sententiam incidit, de persuasu in dolore filios parere meruit. Hanc igitur sententiam, et qui non novit, dum patitur discit; et qui nescit, dum expungitur sentit; et qui ignorat, dum experitur agnoscit. Proh nefas! praeceptum Domini contemnitur, et persuasio serpentis auditur. Despicitur Deus providens, et serpens auditur decipiens. Spernuntur salutaria monita, et recipiuntur venenata colloquia. Unde addicitur homo ex contemptu morti, qui maluit obedire serpenti. Spoliantur gloria, dignitate privantur, facti sunt quod non erant, dum amittunt quod fuerant. Adeo gaudet serpens perpetrasse quod voluit, laetatur hominem peremisse, quod optavit. Exsultat malitiae effectus hominis deceptionem implesse. Et nescit infelix vulneratum semet, dum vulnerat; trucidatum dum trucidat, dum hominem perimit, seipsum esse peremptum. Contristatus est Deus hominem sententiam mortis [ante] meruisse quam vitae, meruisse interitum quam salutem, gloriam contempsisse quam mortem, sed tamen plus malitia serpentis quam hominis contemptu commotus est, plus fallaciam diaboli quam hominis perfidiam denotavit: adeo Dominus Deus et saevitiam exsecratus est hostis, et casum miseratus est hominis: crudelitatem hostis exhorruit, et deceptum hominem paterna pietate condoluit, inimici atrocitate permotus est, et hominem clementer doluit qui deceptus est. Denique Dominus Deus, *Ubi es*, inquit, *Adam* (Gen. 3,9)? Ad confessionem provocat dum interrogat. Vult eum

fateri peccatum, dum ab eo inquit admissum. Quaerit misereri, dum cum reo de culpa colloquitur. Veniam cogitat, qui causam contemptae legis incusat. Obiurgat culpam, ut possit retribuere veniam, ut quos formare instruendo non potuit, eos possit confitendo purgare: accipiunt indumenta pellicea, ut qui confessi iam delictum fuerant, veniam cultus humilitate perciperent. Ostendit Dominus quibus officiis possint delicta purgari, ostendit confessione et deformitate cultus veniam posse facillime impetrari. Ut enim contumacia est celare quod Deo teste commiseris, sic periculosum si splendore cultus animi innocentiam mentiaris. Nemo itaque, nemo peccatorum vitia desperata laetitia contegat, nemo infecto delictis animo dissimulationis virus infundat. Animi vitia, corporis moerore monstrentur. Si vexatus est animus, lugeat corpus, quoniam quoties corpus in causa est, animus moestitia condolescit. Certe quale est corporis vitia sine animi compassione esse non posse, tale est animi vitia sine corporis compassione non privari. Pariter contristentur, ut veniam pariter consequantur, quoniam utrosque simul aut beneficio foveri, aut iniuria vexari necesse est. Nec enim aliud homo est quam corporis animique concretio. **[c. 1210]** Haec enim duo quantum diffinitionibus differunt, tantum hominem dum iunguntur efficiunt. Ut enim in vita separari non possunt, ita numquam boni malique merito separantur. Ut enim non potest a corporis bonis animus separari, ita ab animi malis corpus non potest dissociari. Si enim in Dei iudicio utraeque substantiae aut supplicio aut praemio expurgentur, cur non et in isto saeculo pariter aut moestitia aut laetitia perfruantur? Unde tibi, Christiane, excusatio nulla est, qui post servitutem liberatus es, post captivitatem redemptus, post vexationem curatus, post interitum restitutus: habes in monitis quod exerceas, habes exempla quae timeas. Adam enim nec fallaciam diaboli notat, nec decepti cuiusquam casum defleverat. Qui quidem forsitan posset evadere, nisi prior cum hoste dum confligit occumberet. Te iam instruit Dominus, tibi gestorum exempla proposuit. *Ecce, inquit, sanus factus es noli iam peccare ne quid tibi deterius fiat* (Io. 5,14). Noli, inquit, peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, inquit, o homo, graviolem culpam esse post veniam, renovatum vulnus peius dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiae ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat, nec mundari meretur qui semetipsum post gratiam sordidat. Porro qui post absolutionem non peccat, meretur et praemium; qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum; qui gratiam illaesam tenuerit, aeternitatis accipiet regnum. Grave est enim hominem instructum delinquere, gravius iam absolutum peccare. Servo peior est qui patronum post datam libertatem offendit. Beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Quare aut salutem de exemplo acquire, aut de consortio similem sententiam metue, ne severum sentias iudicem, qui benignum contempseris persuasorem.

Sermo Wiennensis 3

De Genesi: De interdictione arboris ad Adam
(PLS 4, 669-671)

[c. 669] Iubetur Adam de interdicto arboris fructu non tangere, iubetur ab unius ligni nascentibus abstinere: una arbor excipitur, sed universae divinitus tribuuntur. Pars subtrahitur sed totum quod Deus fecerat, famulatur. Idem

prohibet, qui cuncta constituit: idem imperat, qui universa donavit. Qui dedit, admit: qui plantavit, subtrahit: qui condidit, inierdicit. Sed dicet aliquis: ut quid plantavit, qui interdicit? Non enim debuit interdicare, qui plantavit, cum posset non plantare, qui interdicturus fuisset, ne frustra interdicere, quod plantaret. Quasi bonum enim plantavit, et quasi non bonum interdixit: cum posset nec plantare, nec interdicare, nec plantatio et interdictio quaestionem aliquam haberet. Sed qui movetur: quaerat: et qui quaerit, oret ut inveniat. Et qui invenit, cum Dei metu quid invenit, exerceat: ne arrogantia turbet, quod Dei pietas revelavit. Iugitur propter hoc et plantavit, et interdixit: ut posset esse, per quod voluntas hominis monstraretur. Dat mandatum, ut probet obsequium: imponit legem, ut exploret hominis voluntatem, insinuat praeceptum, ut eius noscat arbitrium. Stabat ergo arbor in medio hominis voluntatem explorans. Explorabat enim an homo Dominum comminantem, quam diabolus persuadentem audiret. Non enim in arboris fructu, sed in hominis contemptu mors ipsa pendeat. Stabat et homo inter Dominum et hostem, inter vitam et mortem, inter interitum et salutem. Nunc Deus comminatur, ut salvet: nunc serpens persuadet, ut vexet. Nunc per Deum, severitas vitam: nunc per diabolus, blanditia mortem intentat. Et utique (proh nephas) minatur Deus et contemnitur, persuadet diabolus et auditur. Apud Deum est severitas, sed benigna: apud diabolus autem blanditia, sed nociva. Denique diabolus aut blandimento persuadet ut noceat: aut crudelitate deterret, ut perdat. Sic enim Deus Adam cum diabolo certare voluit, sic eum victoriam perpetrare optavit: ut maiora praemia **[c. 670]** victor acciperet, quam acceperat a Deo formatus: ut qui sine certamine mundum possederat, post certamen regna coelestia possideret. Fuerat enim codignum, ut talis circa creatorem homo fuisset, qualem se eius creaturam agnosceret: ut pareret Deo, qui illi cuncta parere praeceperat: serviret Domino, qui illum Dominum mundo effecerat: certaret cum hoste, ut inimicum devinceret: denique praemia Deo reddente praeciperet. Torpescit enim virtus, ubi certamen defuerit: et facilem hostis malitia coalescit, si pigrescat aiis repugnantis. Sine labore autem vincitur inimicus, si sit, qui dimicat vigilans et intentus. Adeo roborantur vires exercitatione frequenti. Ceterum laboris desidia, insolescit hostis saevitia. Inimicus enim cito devincitur, si qui dimicaturus est, praelia meditatur. Nemo enim unquam non sollicitus hostem devincit: nemo sine certamine victoriam perpetravit. Adam enim protoplastus nec studuit servare iussa, nec vigilavit, ut serpentis malitiam praecaveret. Simplex tantummodo fuit, astutus contra diabolus non fuit. Dum enim diabolo persuadenti quam Domino comminanti consensit: sic et vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit. Digne quidem homo delapsus in mortem est: qui et Dominum providentem contempsit, et diabolo nocenti consensit. Nemo itaque, nemo protoplasti culpam in Deum convertat: nemo contemptum hominis Deo genitori adscribat. Diabolus enim persuadere homini potuit: assentiendi voluntatem dare non potuit. Nam manifestum Deum Adam noluisse peccare, qui voluit eum ante delictum praestruere quia et Adam potuit serpentem contemnere, qui Deo noluit obedire. Potuit Adam et Deo parere, quod noluit, qui consentire diabolo maluit: utrumque enim in sua habuit potestate, et Deo parere quid noluit: et diabolo non consentire, quid voluit: unde et vitae gloriam perdidit, et mortis periculum acquisivit. Sed deceptum Adam et diaboli fraudibus circumventum clementissimus liberat Deus: ut per Christum credendo acciperet, quod per diabolus contemnendo amiserat: et quibus modis mors in seculum venerat, iisdem modis vita seculo proveniret. Lignum enim per Adam operatum est mortem: lignum per Christum operatum est vitam. Et quem diabolus

persuadendo deiecit, eum Dominus liberando salvavit. Sed diversis temporibus ista omnia gesta sunt, principio et fine, initio et ultimo, primo et novissimo, in exordio et supremo. Servitus initio, libertas in ultimo: luctus principio, gaudium in postremo: in primo mors, in novissimo vita: in exordio interitus, gloria in supremo. Per Adam et Christum, per Evam et Mariam, [c. 671] per serpentem et angelum. Mors per Adam, vita per Christum; Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: sed seductio Evae attulit mortem, consensus Mariae peperit a seculo salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Adam fuerat captivatum: per Gabrielem promittitur quod per diabolum fuerat desperatum. Denique peccatum aboletur per Christum, quod per Adam fuerat captivatum: per Gabrielem promittitur quod per diabolum fuerat desperatum. Denique peccatum aboletur per Christum, quod per Adam fuerat ante contractum. Redditur per Mariam vita, quae per Evam fuerat interempta: adeo nunc effectus est homo ex reo iudex, ex abiecto filius, ex hoste amicus, ex alieno proximus, ex mortuo suscitatus: ut iam angelos iudicet, qui ab angelo fuerat iudicatus. Unde coelestia iam et terrena laetantur: quia redimit Christus, quem captiverat diabolus: vivificavit Deus, quem occiderat inimicus; reducit ad paradysum victor, quem victum de paradiso serpens eiecerat: ascendit in coelum, unde hostis nocendo deiectus est: perimitur sententia diabolus, qua hominem iamdudum peremerat: recepit gloriam Adam, quam per hostem amiserat: gaudent sancti omnes, quia redempti triumphant, quod et hostis perierit diabolus: et quod Adam, qui perierat, divina sit indulgentia restitutus.

Sermo Wiennensis 4

De Genesi: Inimicitiam ponam inter te et mulierem
(PLS 4, 671-673)

[c. 671] Christiano cum hoste certamen in origine ipsa monstratur, et in ipsius mundi exordio invenitur, dum diabolus serpens deceptor hominis, praevaricator mundi, origo mortis, delicti materia, seminarium sceleris, culparum genus, inventor poenae, vitae ablator coelesti sententia addicitur, et inter ipsum et mulierem, et inter utriusque semen inimicitiae divina autoritate firmantur, ut exinde homo sociare cognoscat, cum hoste amicitias non debere, nec foedera cum serpente coniungere, nec amoris cum inimico consortia copulare. Numquam enim cum hoste concordia iungitur, nisi Imperator proprius offendatur, nec Imperatoris aliter iussa servantur, nisi hostis decreta solvantur. Unde qui amicitias cum hoste coniungit, et Imperatoris [c. 672] voluntatem offendit, et inimico sese ipse addicit: renunciat enim amicitias Christi, qui se amicitias coniunxerit diaboli: et diabolum habebit perditionis authorem, qui Christum contempserit salvatorem. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius* (Gen. 3,15). Male cum hoste coniungitur, qui separari sententia divina praecipitur: nec sine utilitate ab inimico separatur, qui perniciose hosti coniungitur. Duplex enim malum in ipso contemptu consistit: quod separari iussus se hosti coniungit, et quod adiunctus hosti sine periculo esse non poterit. Certe quale est, ut diversa ista hominum perversitati convenient, ut et charitas cum Domino foederata rumpatur, et amicitiae hostiles divinitus interdictae perniciose concordia copulentur? Nam etsi numquam nobis hostilis malitiae nocuisset audacia, Domini tamen fuerant observanda praecepta, aut si parentibus, id est, protoplastis serpens tantummodo nocuisset, et nobis nocere non posset: pro affectu, pro charitate,

pro ipsa denique causa naturae, inimicitii et similitudine, parentum fuerant iniuriarum vindicandae. At cum nos cum parentibus nostris occidit, nec ulli nostrum, aliquando pepercit, cur inimicum, cur hostem diligimus, cur cum serpente antiquo foedera illicita commiscemus? Nam si separamur ab illo, et nocet: qualis erga nos esse poterit, si ei contra interdictum Domini copulemur? Nullus inimicum suum homo hominem diligit: nullus odientem se pia benignitate assumit. Nam et si diligere inimicos praecipimur: tamen eos, ut caveamus, admonemur. Tunc enim inimicus diligitur, cum eius blandimenta servantur, et iussa coelestia contemnuntur. Numquam enim contraria impune iunguntur, nec diversa sine perniciem copulantur. Ut enim neque lupo agnum, aut hoedum pardus patitur: ita nec peccator fert iustum, neque pauperem dives. Siquidem haec aut separata durant, aut fortiora infirma dilaniunt. Cogita homo principia ipsa. Inde quid declines, invenies. Nonne cum mulierem interrogat serpens, et mulier serpenti respondeat, familiaritate sermonis mulier afflata decipitur, et colloquendi consortio iugulatur? Cuius si colloquia mulier devitasset, et serpens fallendi astutiam perdidisset, et mulier mortis sententiam declinasset. Colloquium serpentis, venenum fuit mulieris. Ut enim conceptum virus in foeminam colloquendo serpens effudit: sic mulier virum persuadendo contraria, decepit. Neque enim in virum aliud mulier posset effundere, nisi quod ea constat serpentis colloquio **[c. 673]** concepisce. Unde iam cum hoste inimicitiae constitutae, ut amor Dei praeceptorum observantia teneatur. *Si me amatis*, inquit Dominus, *mea praecepta servate* (Io. 14,15). Nemo se fallat, nemo se decipiat, Dominus et diabolus ab uno pariter amari non possunt, aut enim diabolus oditur, ut Dominus diligatur: aut si diligatur diabolus, Dominus, necesse est, contemnatur. *Non potestis duobus Domini servire* (Lc. 16,13). Quid acturus es homo, si instructus contempseris, quod in origine mulierem instructam decepit: aut deceptus, quomodo te vindicabis, qui ne decipiaris, instrueris? Pendet edictum, inimicitias cum hoste, et similitudines cum serpente firmari. Cur iungis, quod Dominus separavit: aut cur non separas, quod Dominus iungi vetuit: aut cui tutum est iungere, quod constat Dominum in origine separasse? Adeo inimiciarum istarum pugnam Dominus incontinenti persequitur: et certamen atrox inter mulierem et serpentem sua auctoritate praefatur. Nam postquam dixit ad serpentem, *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*: addidit, dicens: *Illa tuum observabit caput, et tu observabis eius calcaneum* (Gen. 3,15). Magnum inter mulierem et serpentem certamen attendo, magnum bellum, bellum dispositum esse considero, magnam sollicitudinem habendam esse cognosco. Directa est inter utrumque acies, paratum bellum, certamen compositum. Statur comminus, proprius consistitur, ab utrisque intentio provocatur, ut cautela adsit, sollicitudo intendat, securitas conquiescat. Stat enim mulier in procinctu, serpentis caput et observans et vitans, observans ut calcet: vitans, ut serpentis morsus declinet. Adest paratus et serpens, callidus et subtilis. Callidus, ne mulieris pede calcetur: subtilis, ut eius morsu incauta mulier prosternatur. Hanc pugnam laetus aspicit Deus, libenter attendit Dominus Christus: si tamen illaesa mulier serpentem calcando devincat. Sed hoc praelium ad te iam Christiane converte, quod mater ecclesia in filiis quotidie gerit. In confessoribus vincit, in martyribus triumphatrix existit. Hac intentione etiam ipsi momentis omnibus dimicamus, assidue congregimur, continuatim ac iugiter praeliamur, ut cum victoribus in Christo, in aeterna secula triumphemus.

Sermo Wiennensis 5
Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iustitiam
(PL 95, 1210-1213)

[c. 1210] Fides est religionis sanctissimae fundamentum, charitatis vinculum, amoris subsidium. Haec sanctitatem [c. 1211] firmat, castitatem roborat, dignitates exornat. In pueris splendet, in iuvenibus floret, in provecis apparet. Gubernat sexus, gradus provehit, officia cuncta custodit. In paupere grata est, in mediocri laeta, in locuplete honesta. Fides amicitias servat, collegia copulat, artes commendat. Nullum despicit, nullum contemnit, nulli deest, nisi qui ei forte defuerit. Fides mandata tenet, praecepta servat, promissa confirmat [consummat]. Fides familiares efficit Deo, amicos constituit Christo. Neque enim quisquam fidei promissa percipiet, nisi professionem actibus servet; aut praemiorum potest compos existere, qui promissam fidem conservare noluerit, ut iam aut impletae fidei merces homini recompensetur, aut violatae poena competens tribuatur. Huius fidei ab Abraham ducamus exordium, qui cum in excidua constitutus aetate, filium a Deo promissum se crederet accepturum, et fidei pretium in filio conspexit, et in stellarum suam sobolem numerum redundantem fide comparavit eadem. Denique unus filius Abrahae exoptatur, et immensa ei multitudo promittitur. Solatium unius haeredis conquiritur, et innumerabilis soboles destinatur. Nescis, inquit Dominus, nescis Abraham quid destinatum sit tibi, sed idcirco nescis quia quod merearis non respicis. Tantum enim de me tua meruit fides, tantum tua obsequia valuerunt, ut et quid desideres norim, et facere quod mereris decreverim. Namque tibi nascetur filius, cuius semen diffundetur in millia, ut et similitudini siderum coaequetur, et arenae immensitatibus comparetur. Credo, inquit Abraham, Domine, credo quia potes, facturum te confido quod spondes. Nec enim confectam senectutem marcescentis meae aetatis considero, aut Sarae coniugis sterilem effetaeque conditionem attendo, sed tuae maiestatis potentiam tracto, nec cui talia promittantur, sed a quo promittantur agnosco. Generare enim filios senilis aetas non patitur, sed tua, Domine, iussione completur. Steriles filios habere non possunt, sed hoc posse tuae virtutes efficiunt. Natura quidem negat, sed potentia imperat. Aetas prohibet, sed tua potestas ostendit. Impossibile quidem illud videtur nobis; non tibi; homini, non tuae, Domine, maiestati; naturae, non Deo, servis, non Domino. Unde credo, Pater, credo, Domine, istud te facturum esse quod dicis, quia his virtutibus cunctis gentibus innotescis. Tunc Sara concepit in utero, et peperit filium, patrem multarum gentium destinatum. Nascitur Isaac ornamentum generis, parentum gloria, propinquorum laetitia, familiae decus, haereditatis spes, fidei pretium, promissae sobolis testimonium. In cuius nativitate et Dominus promissum reddidit, et Abraham votum quod optavit, accepit. Gaudent omnes, cuncti laetantur. Fit enim Isaac dulcis cum nascitur, dulcior cum nutritur. Nec enim poterat esse non dulcis, quem et patris fides condierat, et propria innocentia commendabat. Fit et Sara ex sterili mater fecunda in filio, fecundior futura ex ipso. Redit iuventus in senem, marcens aetas reparatur in iuvenem, [c. 1212] et manente senectutis aetate, iuvenilia geruntur a matre. Denique blanditur, nutrit et lactat, et consequentia complet officia, quae iam forsitan oblivisceretur, si suo tempore Sarae parere concederetur. Tunc locutus est Dominus ad Abraham, dicens: Accipe *filium tuum quem diligis, Isaac, et vade* in unum montium, et offer mihi illum in sacrificium (Gen. 22,2). Mox Abraham tam celeriter decernit iussis coelestibus esse parendum quam fuerat divinitus imperatum. Verebatur enim ne votum

mora offenderet, aut iussionem tarditas impediret. Denique properat quod iussum est perficere, festinat quod praeceptum est adimplere. Fuit enim laetus cum eum acciperet, laetior cum eum immolandum Dominus postularet. Ostendit Abraham charissimum quidem sibi esse filium, sed multo chariorem filio existere Dominum. Nec dulcedinem aut affectus pignoris respiciebat, qui iussionem ut perficeret, cogitabat. Totos enim affectus convertit in Deum, cui iam se noverat mancipatum. Denique illam fidem servabat in sese, cum filium iuberetur offerre, qua Deum promeruerat, cum eum mereretur accipere. Adest Isaac patri quidem aetate dissimilis, sed fide ac devotione aequalis. Adest, inquam, Isaac, qui si quid pater disponderet, ipse fieri libenter optaret. Ita enim filius paruit patri, ut pater divinae obtemperaret iussioni: ut de consensu filii pater securus existeret, et voluntati patris sese filius manciparet. Erat enim in utrisque unus animus, par sensus, et similis circa Deum affectus, ut generositatem patris in filium transfusam conspiceres, et innocentiam filii patri non deesse videres, ut et paternae fidei particeps filius existeret, et simplicitate filii patris sublimitas redundaret. Qua securitate Abraham fretus, sternit sibi asinam, ad sacrificium ligna concidit, pueros secum adducit. Cumque ad civitatem venissent, Estote istic, inquit, ego et puer iste ibimus soli: et cum adoraverimus Dominum, revertemur ad vos (Gen. 22,5). Statim pater cum filio proficiscitur solus. Ad quem idem filius: Pater, inquit, ligna video, cultrum et ignem conspicio, hostiam quam immolaturus es quaero. Desine, inquit, desine istud quaerere, fili, quod sibi Dominus ad horam procurabit: desine quaerere quod sibi Dominus iam praevidit. Magnum praesagium promittentis, magna innocentia inquirentis. Isaac hostia, de hostia patrem interrogat, sacrificii effectus desiderat. Ovis ab eo quae deerat quaeritur, ne ipse qui loquitur immolet. Ast ubi ad locum ventum est, uterque montem ascendit. Aram pater extruxit, ligna composuit, filium colligavit. Patere me, inquit, fili, patere votum perficere, patere, inquam, per te iussionem Domini adimplere. Deus enim qui te condidit, expetit; qui dedit, quaerit; qui te creavit, te sibi desiderat immolari. Non est enim hoc parricidium, non est crudelitatis admissum, quia votum est. Nec tibi, fili, a genitore mors miseranda infertur, sed utrisque nobis salubriter providetur. Tanto eris acceptabilis hostia, quanto libenter gloriosae mortis acceperis beneficia. Quod [c. 1213] iussus pater es, perfice, inquit; quod disponis, constanter [instanter] adimple. Ego enim nec renuo, nec recuso, quod volueris volo, quod optas exopto, quod desideras et ipse desidero. Denique eo voto istam mortem excipio, quo te eam mihi inferre velle cognosco. Haec etsi uterque non dixit, tamen cuncta ista in actu ostendit. Mox pater extensa manu gladium sumit, dexteram erigit, iugulare filium, sacrificium perficere, iussum Domini voluit devotus implere: et pendenti iam atque imminenti mucrone, Parce, inquit Dominus, parce; fidem tuam quaesivi, non filium ut iugulares optavi: nec amabile pignus tibi subtrahere, sed devotionem tuam volui pertentare. Nunc cognovi quia amas Dominum magis quam filium, imo magis amas filium, quia diligis Dominum: quia dum non pepercisti filio tuo propter Deum, eundem tecum constituisti Domino gloriosum. Quare te benedictionibus cumulabo, et infinitam filiorum multitudinem ex eo tibi provenire confirmabo. Statim procuratur aries, qui pro Isaac sanctissimo mereretur occidi. Nec enim fas erat ut Isaac, qui typum Christi portabat, a patre hoc in tempore mactaretur, quia perfecta sacrificii hostia Christo Domino servabatur. Procurabatur, inquam, aries, qui pro Isaac mereretur occidi, ut et promissum patris de hostia compleretur, et perfecto sacrificio, patri Isaac incolumis redderetur. Tunc uterque laetus de monte descendit: pater, quod sacrificii votum salvo filio perfecit; filius, quod iussa

patris libenter optasset. Gaudet de patre filius, de filio pater. Gaudent propinqui, familia cuncta laetatur: gaudent, inquam, quod et opus tantum perfectum sit, et quod patrem cum filio incolumes illis Dominus revocarit.

Sermo Wiennensis 6

De Iacob et Esau

(PLS 4, 674-676)

[c. 674] Portabat Rebecca *geminos in utero* (Gen. 25,24) fratres, ante ortus principia bellatores: certantes, filios mater ante sentit, quam novit: ante patitur, quam videt: ante sustinet, quam agnoscit. Licuit filiorum bella sentire: quos nondum licuit generare. Certamen inter fratres in utero geritur: bellum inter natos committitur. Materna viscera quatiuntur, nec ad ortus principia properatur: sed ante principia, nova certamina celebrantur. Velim causas tanti certaminis nosse, velim istius pugnae negotia tractare. Quid intercesserat, quid factum fuerat, quae pugnandi ratio, quae causa vincendi, quo spectatore id geritur, quo iudice celebratur, quid victori promittitur, quid victo e contrario denegatur? Quis certare docuerat: quis pugnare monstrarat? Sed notum est cunctis, istorum certamine fratrum, causas duorum exprimi populorum. Vult enim Deus ante ostendere futura, quam veniant: ante, ventura monstrare, quam fiant. Etenim praeiudicare non potest pugna, si pugnae non consentiant merita. Sed futurorum praescius Deus qui monstruosum certamen voluit exerceri: dat certandi affectus, vincendi vota ostendit, et spectatorem se constituit, se iudicem demonstravit. Adeo certamen geritur praesentiae Domino, qui genuit: et matre teste, quae sensit. Sed mater certamen sentire potuit, videre non potuit. Denique interrogat Dominum: Quid est, inquit, Domine quod geritur? quid est quod in utero meo te teste tractatur? quid facturi sunt nati, qui sic luctantur innati, aut quae natorum vota suscipiam, cum sic in luctamine nondum natorum concutiar? *Duo sunt*, inquit Dominus, *populi in utero tuo: et duae gentes de ventre tuo dividuntur. Et populus populum superabit, et maior serviet minori* (Gen. 25,23). O veneranda praescientia Dei. Designantur in utrisque fratribus gentes: in singulis, populi declarantur, immo ipsi gentes et populi nuncupantur. Futurarum sobolum nomina in natos conferuntur: et adhuc innatorum nomina ignorantur. Dicuntur enim parentes, qui necdum filii nomen acceperant: appellantur patres, qui nati non fuerant: ut fierent genitores, [c. 675] antequam filii fierent: patres, antequam nati. Ostenduntur amborum merita: et operationis nondum est causa. Quid quisque mereatur, edicitur: et meritaе causae silentur. Sententia a Deo profertur: et adhuc qui meretur, non nascitur. Iudicium divinitus celebratur: et adhuc in utero, qui iudicatus est, detinetur. Praecedat mores iudicium, sententia actibus prior est. Non expectatur tempus, ut merita dispungantur: quia dispunctoris potentia ante novit omnia, quam nascentur. Interea certamen nec nascentibus defuit: dum maioris plantae innixus, aut prior nasci desiderat, aut se victorem tali gestu demonstrat. Maior tamen properat in lucem, et adhuc tenetur in ventre: quaerit prior nasci, ne et in hoc possit a fratre devinci. Cupit pudorem properantia tegere, desiderat ignominiam festinatione mutare, timet videri victus, antequam natus: sed iam matri proventus certaminis iudicaverat Deus. Iudicat et nascentium ortus: unde digne Iacob supplantator vocitatus est. Sed dividit in amorem uterque parens utrumque nascentem: sic pater maiorem, sic mater minorem assumit. Pater in utero victum amore solatur: mater vero victorem diligit, quem pugnans non vidit. Optat pater victori victum

aequari: si victi mores possent a malicia immutari. Sed iam servatur sententia, quia sententiam provocaverant causae, nec in aliquo potuit bonitas in innocente corrumpi: ut malicia in reo non potuit immutari. Igitur properant impleri praedicta: festinant geri, quae fuerant divinitus nunciata. Denique coquit Iacob pulmentum constitutus in domo, desiderio rapitur veniens Esau de campo. Sed male desideratur, quod in damnum salutis assumitur: quia contrarie esuritur, quando salus manducando deperditur, aut in vitae interitum ordinatur. Molesta enim est fames quae ad hoc saginatur, ut perdat: pernicioesa esuries, quae idcirco excluditur, ut peior in homine nutriatur. Quoniam damnosa mercatio est: si salus pro cibo impenditur, aut magnis vilia comparantur. Adeo Esau primatus desiderio lentis addixit, eosdemque Iacob intemperantia desiderantis accepit: quandiu Esau possidere non potuit, quod in utero constitutus, amisit. Denique reddit Esau aliena, Iacob recepit sua. Fit Iacob benedictione iam primus, qui fuerat natura postremus. Primatus reddidit causa, quos negaverat aliquando natura. Nec diu eius gratiam indignus potuit usurpare, quam Iacob meruit, antequam nasceretur, accipere. Interea haereditaria benedictio a patre in Esau disponitur, et ab eo ciborum delectatio postulatur. *Facito*, inquit, *mihi fili cibos, quos [c. 676] amo: ut manducans benedicam te, antequam vita ista decedo* (Gen. 27,7): sed ignorat Esau illum placitum in cibo, qui iam placuerat merito: nescit eum benedictioni aptissimum, cui tradiderat ipse primatum. Denique pergit venatum, ut imperata perficeret: remoratur, et tardat. Fit difficile, quod quaeritur: ut in Iacob paterna benedictio compleretur. Quaerit Esau invenire, quod pater fastidiat: desiderat capere, quod genitor iam saginatus exhorreat. Hortatur et mater Iacob amantissimum filium, narrat verba patris ad fratrem, refert imperata ciborum, benedictionis promissae compotem dicit: si quae fieri iussa sunt, implere festinet. Cogitur Iacob profiteri, quod non erat: mentiri, quod fuerat. Cogitur, inquam, simulare se fratrem, mentiri maiorem. Adeo pergit ad gregem, duos hoedos adducit: quorum pellibus brachia, nudamque cervicem absconderet, et hirsuti fratris praesentiam simularet. Itaque parat cibos delectabiles mater, infert filius patri: pater miratur adventum tam celerem filii. *Quid est hoc*, inquit, *quod tam cito venisti fili* (Gen. 27,20)? Quod Dominus dedit, ait, attuli tibi. Surge, manduca quod desiderasti, ut benedictionem conferas quam promisisti. *Accede*, inquit, *ad me fili, ut palpem te, et videam si tu es Esau filius meus*. *Accede*, inquit, *ad me, ut sentiam tactu* (Gen. 27,21) quod oculis videre non possum: palpando intelligam, quod visu non cerno. Duo sensus, id est auditus et tactus in patre sancto contendunt, quisnam eorum, quod latebat, ostenderet: sed auditus indicat, quod tactus ignorat. Fallit enim habitus patrem, sed vox indicat veritatem. Refert vox, quod habitus refellebat: nudat lingua, quod tegmina simulabant. Indumento quidem fratrem mentitur: sed verborum sonitu, qui fuerat, indicatur. Unde Iacob sanctissimus dividitur apud patrem in duo, dum mentitur: alium habitus, sed vox indicat verum. Vestitus maiorem simulat, sed sermo minorem non celat. Ita enim alienum est quod simulatur: et proprium est, quod per vocem dignoscitur: ut benedictione sit dignum, quod est proprium: exhaeredari enim meruerat, quod fuerat alienum.

Sermo Wiennensis 7
De Ioseph, ubi a fratribus venditur
(PLS 4, 677-680)

[c. 677] *Filii autem Iacob pascebant oves patris sui in Sichem: et dixit Iacob ad Ioseph filium suum minorem: vade fili, et vide, quomodo se habeant fratres et oves* (Gen. 37,12.14) et renuncia mihi. Ioseph autem abiit. Illi autem cum viderent eum venientem, dixerunt: *Ecce somniator ille venit. Venite, occidamus eum* (Gen. 37,19-20): et videamus, quid significant somnia eius. Mittitur a Iacob patre sanctissimo Ioseph sanctus ad fratres, qui salutem patris ad illos, et ipsorum ad patrem afferret: ut inter absentes medius utriusque salutis nuncius existeret, ut quod per semetipsos absentes scire non poterant, Ioseph referente, noscerent: et disiunctos huius relatio iungeret, quos locorum diversitas separaverat. Quem cum venientem de longe conspicerent: ecce, inquit, ecce somniator ille: *venite itaque, et occidamus illum*: et videamus, quid portendant somnia eius. O nefanda rabies iniquorum. Non licet Ioseph, non licet, inquam, impunitum esse, quod bonus est? Non licet meliorem tutum esse cum malis, et quasi invidi aliquid perdant, aut dispendium alicuius rei incurrant: sic bonorum vita detrimentum est pessimorum. Zelant mansuetum invidi, modestum superbi, probum improbi, mitem tumidi, inimica aemulatione lacessunt. Patitur Ioseph sanctus innocentis vitae invidiam, et aemulos in se fratres sancta excitat vita. Bonum mali videre non possunt: denique venientem ad se, lacerant, saeviunt, necare festinant. Nolunt meliorem vivere, ne degeneres ipsi possent impropria sustinere. Cur innocentem zelas inimica fraternitas? Cur invides bono? Cur pati simplicem non potes? Cur modestum persequeris? Cur probum non diligis? Cur rea innocentis sanguinis inveneris? Saltem distractus aliquatenus vivat, ne in te accusator innocens sanguis, ut in Cain, aliquando existat. Serva tibi, serva inimica fraternitas vivum, quem sentias aliquando placatum. Serva incolumem, quem necessitatis tempore invenias provisorem. [c. 678] Forsitan enim adveniat tempus, quo cum servum fecisse poeniteat quidem, parricidium perpetrasset minus collibeat. Levius crimen est sanctum servituti addici, gravius nihil est innocentem animam iugulari. In servo quod curetur, invenies: in parricidio non reperies, quod excuses. Multis provides, si istum distraxeris: tibi nocueris, si innocentem animam iugularis. Distractus igitur Ioseph sanctus in Aegyptum, accepturus totius provinciae dominatum, venundatur in servum, in famulum addicitur, in innocentem fraterna crudelitas operatur. Suscipit servitutis notam, quam Dominus praeparabat ad gloriam. Humiliatur ad tempus, imminenti necessitate regnaturus. Ministrat ut servus, ut famulus paret, domestica complet officia: nec obsequendo, deest in aliquo: ut humilitate perciperet, quicquid illi ingenuae necessitatis praestitisset. Adeo tantum sublimatur in domo, tantum famulis cunctis praefertur, tantum a servis omnibus honoratur: ut quantum ei Dominus, tantum ipse familiae imperaret. Fit rector et praepositus domus, fit cunctis imperans: solus fit domesticae curae aptissimus. Sed his bonis coelesti dono concessis, tentatio inimica non defuit. Pudicum iuvenem matrona appetit impudica: ut diabolus, qui in eius necem fratres armaverat, contra eum armaret et foeminam. Sed tam haec Dei iudicio concidit, quam fratres Deus ab eius parricidio separavit. Deinde solum sola aggreditur: et cum casto puero incesta mulier fabulatur. Tandem, inquit, quaerens optatum tempus inveni: et ad cupiditatem voluptatis implendae, aptissimum silentium reperi. Nullus inter nos arbiter testis existit, nec maritus domum repetit, nec familia recognoscit, nec aliquis de externis intervenit. Inter

nos solummodo causa est. Nullus potest existere, qui possit, quod gerimus, indicare. Fac, quaeso, quod peto. Exple animum cupientem tui, ut posco. Desiderantis preces, ne asperneris, exoro. Ego te muneribus honorem, ego marito commendem, ego te libertate condonem: nec quisquam mihi te charior poterit inveniri, si mihi, quod disidero, contigerit adipisci. Frustra, inquit Ioseph, frustra mentis inimica tentatio: frustra me innocentem appetis: frustra mihi castissimo lasciviae verba immitis. Ego enim, quod loqueris, fugio: quod quaeris, nolo: quod desideras, perhorresco. Solum metuo in coelestibus Deum cuius disciplinam servo, integritatem diligo, castitatem custodio. Si enim domus totam potestatem accepi, si nihil mihi praeter te, meus Dominus denegavit: quomodo faciam istud, quod dicis, ut et dominatorem Dominum et patronum tam liberalem offendam? Nam si in me **[c. 679]** per mendacium crimen converteris, et quod nolo, me voluisse contenderis: Dei erit liberare, quem in praesenti desidero non offendere. Igitur postquam Ioseph mulieris blandientis illecebras et serpentine oris colloquia aspernatus, respuit: detentus ab eadem, relictis vestibibus fugit. Quae cum se publicatam conspiceret, vociferata clamavit: et facinus, quod vitiosa mente conceperat, in innocentem ipsa convertit; et eum voluisse, quod ipsa non potuit, accusavit. Fugit igitur Ioseph, inquam nudus, pudicitia et castitate vestitus: fugit relictis vestibibus, innocentia, qua vicerat, tectus. Et cui impudica mulier indumenta detraxerat, eum sanctitas ipsa tegebat. Habe tu mulier detestanda, vestimenta quae tenes: habe exuvias, quas in argumentum defensionis false tulisti. Habe apud te testimonium pudici victoris. Confinge falsas calumnias, nec te marito persuade. Conscientiam tuam non fallis, qua superatam te ab innocente cognoscis. Laetabatur interea Ioseph pudicitiae perfecisse bella, peregissee castitatis praelium, pugnam innocentia superasse: in qua pugna lascivia vincitur, calcatur petulantia, omnis impudicitia detruncatur, triumphat castitas, integritas gaudet, victrix innocentia collaetatur. Sed postquam maritus advenit: detestanda mulier, quam libido nuper in perniciem innocentis accenderat, in eius mox accusationem exurgit. Gestabat nanque in facie teterrima mulier dubios et ancipites vultus, et alterna coloris intentio, rubor pallori immixtus, diversos mentis aestus verbis trementibus praeferebat, ut videres et conscientiam victi facinoris aperiri: et innocenti accusationem, rabido furore aptari. En, inquit, quem nobis servum intuleras, en cui universam domum et omnia tua gubernanda credideras. Hic mei pudoris latro, hic pudicitiae hostis, hic castitatis praedo extitit: quem vix luctando expuli, vociferando cavi, pugnando devici. Putavit me quoque sibi denegandam non esse: cui totum, quicquid possides, tradidisti. Tunc maritus furias in se incestae transfert mulieris, tunc inflammatur insania, tunc saevitia excitatur. Vix ab iniuria abstinet manus, vix sese regit, vix cohibet. Cogitat digna causae tormenta: meditatur convenientia sceleri tanto supplicia. Obtinet apud eum falsitas, veritas exulat. In custodia innocens, quia reus esse noluit, religatur. Cur in innocentem grassaris importuna tentatio? Cur appetis iustum? Cur sanctum persequeris? Ioseph enim innocentia reus est, non culpa: castitate non adulterio, offendit. Custoditi pudoris, non violati hostis est. Vim passus est ipse non fecit: iniuriam accepit, non irrogavit. Peccavit. Peccavit, quia peccare noluit, **[c. 680]** non quia peccavit quinimmo poenam meruit, quia peccare pertimuit. Eat licet in carcerem, iustus coniciatur in vincula, in custodiam religetur: iniuria iniuriosi est, non innocetis: poena laedentis est, non laesi. Supplicium si merui, patior: si non merui, ille patitur qui irrogavit. Reus quem peccatum non poena castigat, spectat suum supplicium. Qui quod patitur non meretur, sine poena torquetur: quia tormentum non meretur, quod patitur. Adeo tormentum quod irrogas,

pateris: quod tribuis sentis: quod inferis, ipse torqueris. Nec ulla tibi solatia poterunt subvenire, nisi iustum a poena volueris revocare. Interea Ioseph in carcerem traditur, in custodia religatur, exultat et gaudet. Exultat, inquam, victor et liber. Exultat domesticam calcasse calumniam: exultat pudicitiae obtinuisse victoriam. Licet in carcere morari illaesum, quem lascivia mulier fecerat reum. Licet hic sine periculo diversari, quoniam apud suos non licuit domi. Fit Ioseph in custodia tutus, in carceris loco securus. Domi enim nonnumquam calumnia aptatur, in custodia innocenti securitas invenitur. In carcere enim nullus appetitur, nullus alieno crimine oneratur: innocens isthic tempus expectat, reus iudicium. Nec aliena quemquam opprimunt crimina: quia nec bona malis, nec mala bonis deputantur aliena. Intrat Ioseph sanctissimus custodiam, visitor magis quam reus, provisor non socius, medicus non argrotus. Adeo fit cunctorum praepositus, fit providens omnibus solus, fit in reorum solatium procurator. Gaude innocentia et exulta. Gaude, inquam, quia ubique illaesa es, ubique segura. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Tu in servitute, libera es: in periculo, tuta, in custodia, laeta. Tibi omnis reatus addicitur: tibi universa militia subiugatur. Te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt. Et iam illi te non, inquam, desiderant, qui impugnant. Tibi boni parent, mali invident: zelant aemuli, inimici succumbunt. Nec unquam poteris victrix non esse, etiam si tibi inter homines iudex iustus defuerit.

Sermo Wiennensis 8

Alius tractatus de Ioseph ubi ab uxore patroni apud eum accusatur
(Leroy, 161-164)

[p. 161] *Induxisti, inquit, ad nos istum puerum Hebraeum ad illudendum mihi et cum videlicet mihi vellet inferre, exclamavi voce magna; hic autem relictis vestibibus fugit. Quae cum protinus audisset, iratus misit eum in carcerem ubi vincti regis detinebantur* (Gen. 39,17-20). Cumque petulans mulier et lasciviae furore incensa Ioseph sanctum appeteret cumque apud maritum falso crimine incusaret, fit Ioseph quia peccare noluit reus, fit castitatem dum diligit inimicus.

Creditur enim contra verum falso, contra innocentem mendacio, contra virum sanctum periurio. O miserum mariti ac detestabile meritum, cuius mens nec calumniam respicit, nec verum admittit, nec ream intelligit, nec innocentem agnoscit! Mutatur in eo veritatis iudicium nec simulatum uxoris cernit opprobrium. Denique meruit Ioseph pro innocentia poenam, pro disciplina custodiam, meruit pro castitate vindictam. Adeo in carcerem truditur, in custodiam relegatur. Sed Dominus ita eum in carcere honoravit ut ilium iam tot periculis exuerit. Denique in carcere ipse fit reorum praepositus, fit custos, fit servator omnium inclusorum, ut esset ipse refrigerium reis, solacium miseris, curam susciperet iam defessis. Adeo interpretatur somnia, imminetia disserit, futura condicit.

Quid agis, totiens innocentem adpetens, inimica tentatio? Cur grassaris in simplicem, cur sanctum persequeris, cur Dei hominem insectaris, ubique conicis, ubique turbas? Ioseph innocentia pollet, sanctitate valet, merito gaudet. Denique liberatur a fratribus, calumnia mulieris impudicae exuitur, in custodia sublimatur. Exsere quantas poteris vires, concinna falsa, necte mendacia: Dei servus semper in periculo tutus est, in morte securus; nec quidquam in eum

poteris violenter inferre quod non ab eo Dei virtute pellatur. [p. 162] Haec interea dura gerantur, felicitatis tempus a Deo dispositum Ioseph sancto advenit et tentationis adversae transactis laboribus in lucem gloriae et dignitatis emicuit. Tunc enim pharao rex nocturna in requie *somnium videt* (Gen. 41,1). Visitatur a Deo, necessarie remissione terretur, maxime cum nullus qui disserat, nullus ad somnium qui aperiat invenitur, quia Ioseph sancto ista gloria servabatur. Aestuanti itaque regi et visionis generum <...> servus interpretes et explanatores omnium somniorum, qui ut nostra nobis disseruit, ita tibi tua poterit disserere. Hunc igitur iube accersiri, hunc iube ad te quia dignus est convocari. Ex illo, quod exigis tu potes recognoscere; ille tibi cuncta disponet, ille tibi manifeste universa aperiet.

Mox rex ad carcerem misit, Ioseph adduci protinus imperavit; atque cum vinctum fuisset deponit humilitatem cum sordibus, reatum cum coma abiecit. Deinde resumit in veste nitida, gloriosissimam humilitatem in custodia dereliquit. Qui cum ad regem venisset: Quoniam te, inquit rex, a meis interpretem comperi somniorum, poterisne mihi interpretari quod vidi et explanare fideliter quod somniavi? Quod quidem somnium cum Ioseph audisset: Rex, istud quod quaeris, inquit, hominum non est sed Dei; nec a sapientibus poterit mundi praeferri sed divina sapientia poterit indicari. Haec est itaque interpretatio somnii: septem anni magnae ubertatis advenient; post hos alii septem anni aderunt in quibus non erit aratio neque messis. Haec est interpretatio somnii quod vidisti. *Nunc itaque consilium do tibi: provide virum sollertem quem huic rei praeponas ut septem annis ubertatis colligat frumentum* (Gen. 41,33s) in horrea propter septem annorum futuram famem ut genus hominum non exterminetur a fame. Quoniam, inquit rex, et bene et vere interpretatus es et consilium salubre dedisti, virum quem dicis providendum tu es; nec quisquam te melior poterit inveniri. Vade itaque accepta potestate cuncta ista exsequere. Mox Ioseph procedit dignitate et gloria sublimatus. Redigit frumenta, pabula congregat, alimenta comportat ut si quid ventura fames miseris mortalibus denegasset, Ioseph providendo conferret. Suscipit igitur, suscipit Ioseph totius terrae Aegypti curam, suscipit salutis omnium causam, miserandam cunctorum suscipit vitam. Pendebat in sollicitudine eius salus omnium populorum, pendebat susceptae vitae sollicita semper intentio. Nec tantum quidem quid colligeret sed quid necessitati sufficeret cogitabat. Exigit ab omnibus quod nec in praesenti gravaret nec in futuro deesset, fit moderator praesentium sollicitus futurorum. Exhibet se in exigendo moderatum, in servando sollicitum; sed Deus qui sui servi sollicitudinem revelabat, tantum fecit frumenti colligi quantum sciebat posse tempore necessitatis impendi.

[p. 163] Quid agis nunc, scelestissima mulier, quid meditaris, quid cogitas? Ioseph innocens sublimatur qui tua blandimenta contempsit; potestatem magnam adeptus est qui castitate propria tuam petulantiam vicit, tantam potentiam consecutus est qui pudicitia mentis tuae illecebram superavit. Vel nunc igitur fatere verum, quem ante confirmaveras falsum, fatere sanctum, fatere pudicum quem apud maritum accusaveras violentum. Disce quanto castitas valeat, quanto constet integritas, quanto sanctitas Dei iudicio expendatur. Vel nunc fatere tua, purga aliena, indica quid volueris, quid ille noluerit. Quin immo edicto te voluisse quod illum constituit noluisse. Cogat te eius sublimitas confiteri de quo falsum apud maritum aptasti. Credat nunc maritus a te audiens verum, qui antea credidit falsum. Quare desine ulterius, desine aut turpitudinem gerere, aut falsa de innocentibus concinnare, aut

lasciviam cupere, aut in alium male cupita transferre. Tunc enim poterit tuae salutis prodesse si utraque didiceris observare.

Interea ubertate transacta destinatum tempus advenit et privatorum subsidia in penuriam temporis reservata iamque cotidie finiuntur. Timetur per singulos dies miseranda necessitas et impensa inopia tabefacta iam corpora macerabant. Tunc interpellate pharao a populo, tunc rex a cunctis mortalibus corrogatur, tunc universi frumenta sibi distrahi miserabili planctu poscebant. Ite, inquit rex, *ite ad Ioseph* (Gen. 41,55), distrahendi <ab eo> qui ea acceperat, exigendi. Quod collegit erogat, quod redegit dispensat; praestat Ioseph populo in fame cibum, in inopia victum, subsidium in necessitate distribuit. Praestat, inquam, Ioseph quod fames abstulerat, dat populo quod sterilitas denegabat, exhibet cunctis quod miseranda necessitas subtrahebat. Pascuntur unius providentia cuncti, saginantur unius consilio populi. Nullus ad Ioseph veniens esurivit, nullus illo viso sine alimento discessit. Ioseph enim personam Christi portavit, qui fame spirituali exclusa, cunctis *ad se venientibus* saginam pabuli coelestis exhibuit. Adeo distrahitur Ioseph, ut distractus est Christus et distrahitur a fratribus ut distractus est Dominus: a suis traditur, a proximis venundatur. Adeo distractus est ut redimeret, venundatus est ut salvaret. Ioseph distrahi potuit, mori non potuit, quia *mori pro populo* Christo Domino Dei iussu convenit. Quid agis nunc, inimica fraternitas, quid tecum cogitas, quid famis tempore meditaris? Audis esse frumenta in Aegypto sed a quo provisa sint nescis. Ecce pabula apud pharaonem addiscis, sed a quo distrahantur non audis. Urget te fames ut venias, urget te inopia ut in Aegyptum festinato descendas, urget iam tempus ut quod Ioseph somniasse obrueras recognoscas. Veni et vide Dominum quem feceras servum, conspice inclytum quem distrahendum putasti in famulum. Veni, ad orandum quem audieras adorandum in somno. Posses enim mox cognoscere fratrem si non in servum venderes somniatorem.

[p. 164] Igitur postquam urgente fame in Aegyptum Ioseph fratres venerunt, agnoscit eos ipse nec ab eis agnoscitur; a fratribus non dinoscitur sed eos ipse dinoscit. Illos enim simplex cultus ostenderat, ilium dignitas qui fuerat obtegebat: fulgebat enim habita, fulgebat gloria, fulgebat potentia. Denique illi adorant et ille dissimulat, illi suspiciunt et ille avertitur, illi venerantur et ille potestate censoria comminatur. Sed postquam cuncta Dei nutu completa sunt et Ioseph recognosci se vellet a fratribus, iussit omnes Aegyptios a se discedere, iussit cunctos extraneos sui absentiam procurare et lato ore prorupit in vocem: *Ego sum Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Aegyptum* (Gen. 45,4s). Nolite itaque, fratres, *nolite metuere*. Ego enim iniuriae nihil retineo, ego cuncta concedo, ego enim culpam ignosco. Tunc ad patrem misit cogere coram et eum vocavit, distractores suis ignovit et ipse cum suis beatus in gloria et dignitate permansit.

Sermo Wiennensis 9

De masculis, ubi pharao praecepit nascentes masculos mori
(PL 39, 1789-1791)

[c. 1789] 1. *Pharaonis saevitia in Hebraeos*. Aegyptiorum turmae inter maritimos fluctus alienum iter ingressae, aqua vindice puniuntur, ut illos in ditionem revocarent, qui Deum habebant peculiariter defensorem. Quos in medium marini alvei desperata traxit audacia, inanis furor irae amplius

provocabat insania; confundentibus et in naturam suam redeuntibus undis, graviter eos per diversa mox littus excepit, et insepultos bestiarum pastibus arena servavit. Elegerat Deus Moysen, qui Pharaonem virtutibus invitaret, signis et magnalibus admoneret, vindicta terreret, et territum severitate compesceret. Sed dicis: Quomodo posset liberari admonitus, qui iam Dei sententia trahebatur? *Obdurabo*, inquit, *cor Pharaonis* (Ex. 7,3). Sententiam protulit, quam se facturum promiserat, non quam iam fecisse monstrabat. *Obdurabo*, inquit; non, *Obduro*. Aliud est facere, aliud est quod iam fecisse promittitur, nec tamen impletur, ut metu territi corrigantur. Consumi Hebraeos praecepit luto, latere, paleis denegatis, ut tandem afflictis, si bellum contingeret Aegyptiis, non valerent resistere civitati. Levantur ergo machinae usque ad coelum, turres eminent, et aptissime construunt fabricam: non quod deessent aedificia civitati; sed populum perire quaerebat, qui divino favore pollebat. Augetur populus dum opprimitur, et dum putat minui, quotidie crescit: plus insequitur, quasi posset vincere, quos divina maiestas praedixerat esse victores.

2. *Idem tractatur argumentum.* Inter haec praecepit vocari obstetrices, imperat ut Hebraearum si nati essent masculi, necarentur, et sexus inferior servaretur. O prodiga furoris audacia! Necdum natis poena mandatur, et ante principium vitae periculum concitatur. Cohibe, nefarie homo, insaniam tuam. Quos necdum vides, insequeris: quid scelestius? Nondum natos occidis. Servet ordinem feritas tua; nascantur ante, quos punias. Praestant tamen partum ministrae, noluerunt exercere ad perniciem, quod didicerant ad salutem, facilius Hebraeas mulieres quam Aegyptias parere dicentes; nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria, quibus Deus provenit ad animas liberandas. O magnum humanitatis ingenium, et pium pro salute mendacium! Tantum timuerunt obstetrices Deum, ut praecepta regis contemnerent, et mulierum sacraria conservarent. Sed incredulus Pharaon in alterum se nocendi aditum vertit, ut quod occulte antea tentaverat, in populis palam faceret; omnem Hebraeam masculinam prolem iussit occidi. Quod ubi ad aures matrum rumor advexit, pulsatum est plangentibus coelum; et cum ab ipsis uberibus avulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor vincens parturientis dolorem. Nulla tamen mater infeliciores fuerat, nisi quae fecundior erat. Optabant tamen omnes steriles esse, quam fecundae parerent. Quid impie insanis? quid crudeliter saevis? Licet plurimis insontium mortes acerbis inferas, et animas miserorum crudeliter cremes, tibi necis augetur, et poenae non detrahitur meritum.

3. *Moysi nomen mysticum.* Cum enim passim parvulorum corpuscula deiicerentur in flumine, Moysen manus excepit humana, quem pro totius vindictae causa quaerebant. Nam cum Pharaonis filia viridanti in ripa tremula posceret fluenti lavacra, invenit in loculo, quem pater non posset nutrire supplicio. Ad [c. 1790] quem educandum in nutricem mater adducitur (Ex. 2,5); ad alendum occasio coniunxit affectum, quem regis diviserat metus. Novum miraculi genus, fecit misericordiam filia parricidae. Nam dum parvulum servat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitiae eius sceleris erat, ut filiae provisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. Competens processit divina vindicta, ut suis affectibus puniretur, et Moyses pro aliis exuendis exueretur. A fluctibus denique mystica lingua Moyses nomen accepit, et Pharaonis necem quam praeparaverat in nomine, in flumine maris invenit. Hic, operante virga, per medios fluctus ac si pulverulentos exhibet gressus, imperio suspensam in altitudine montium erigit undam, ut Dei plebem redderet salvam.

4. *Masculos pueros Hebraeorum in amnem proiici iubet.* Audistis nefariam crudelissimamque vocem durissimi Pharaonis: *Masculos in amnem proiicite, feminas vivificate.* Iubet hostis in flumen parvulos proiici, iubet innocentes crudeli morte necari. Non prohibet nasci, dum natos decernit occidi. Quos enim necdum vivere natura concesserat, eos sententia iam sustinet ad poenam. O nova et inaudita crudelitas! Ante iudicium celebratur, quam reus ipse damnetur: ante sententia profertur, quam obnoxius sententiae demonstratur. Utique reorum mos est, ut reatus sui sententiam exspectare soleant. Nec enim reus potest ante damnari, quam eius culpa coeperit manifestari. Hi vero nec rei nati, nec reatus sui sententiae merito mancipati. Nascebantur enim, non ut vitae salutis perciperent fructum, sed ut esset quos crudelitas saeculo faceret luctum. Nunc praecipis, quod factum deberes ulcisci. Non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem parentumque dolorem, saevitiae tuae expleri sententiam gaudes. O parentum vota crudelia, laetitia luctibus immutata! Ad facinus profuit, quicquid in eorum felicitate processit. Gaudebat laetissimus hostis inter madentes omnium fletus. Quantae perierunt dolentium preces, quantae incassum effusae sunt lacrymae, quanti gemitus ululatusque multorum, cum parentes manibus natos exponi viderent, qui simile nihilominus mox facturi fuissent? Suos iam casus in aliis alii cernebant. Alii continentes filios suos, cum iam celare non possent, exponebant: alii mox editos exposuerunt, ne quanto retinerent tardius, tanto emitterent crudelius. Quanti pro filiis optaverunt mori? quanti sententiam contemnere voluerunt tyranni? Satiemus, inquiunt, eum, et nostro moerore eius saevitiam repleamus.

5. *Primogenitorum Aegypti iusta percussio.* Percutitur Aegyptus primogeniti affectu, ut ex sese cognoscerent, quantus dolor sit filiorum, qui necaverunt filios Hebraeorum. Percutitur, inquam, Aegyptus primogenitorum affectu, oriturque funestus clamor. Dignitas nullum excusabat, nec alium conditio opprimebat. Non servus ad obsequium, non Dominus ad imperium. Non regem honor excusabat, nec inopem necessitas alienabat. Stabant Hebraei vindicta dominante illaesi quos non tantum propria salus laetos reddiderat, sed et hostium plaga laetiores effecerat. Exeunt laeti, exeunt securi, Domino protegente invicti. Tunc poenitet Pharaon quod vivat, et evasisse eum tanta eius scelera non sustinebant: ut qui in tantis plagis nullam emendaverat culpam, quae fuerat competens exquirebat. Iungit currus, exercitum praeparat, aciem dirigit; nemo relinquitur, qui salvari mereatur. Includuntur persequentibus Aegyptiis Hebraei inter mare et hostes, inter undas et gladios. Hinc mare spumat, inde arma coruscant: hinc aquarum, inde armorum strepitus. Sic operari Deus suis assuevit, ut ubi defecit humanum consilium, illic intercedat divinum adiutorium.

6. *Mirabiliter Deus providet in suos.* Quibus visis populus territus formidabat. Cum conspiceret rapidos cursus influere littoribus mare, volvente aequora flamine collisa laxare, mox universi exclamabant ad [c. 1791] ducem Hebraeum: Dum Pharaonis dominio carere volumus, discrimen, inquiunt, invenimus; et cum voluntarie servire nolumus, ad periculum pervenimus: exhibes mala, quibus adhuc usque promittis; nec te interitus nostri auctorem intelligis, dum tantis malis obnoxium non agnoscis. Quibus Moyses sanctissimus ait: Ne formidetis, viri, estote fide armati, credite verbum quod sentietis futurum, credite victoriam vestram iam properare, et gentis furentis interitum. Non consentientibus ventis aquarum volumina imperfectis cursibus refrenantur, ne hostes vestros ante puniant quam iubentur. Statim divino iussu

virgae ictu rumpitur mare, et divisis undis campos quos natura non noverat, exhibuit. Hiantibus undis freti, arcana et maris secreta declarat unda. Erigitur in cumulum pelagus, et murorum instar suspensos exhibet fluctus. Fit littus ubi fuerat pelagus, et limite recto via porrigitur, ubi populus Domini mirabiliter graderetur. His namque visis populus Domini propter se cuncta gesta cognovit, et iussu divino intrepidus introivit. Ambulabat, inquit, securus, Domino pugnante invictus. Sequitur Pharaonis exercitus aquarum supplicio periturus. Putabat illic posse se pugnare, ubi solus cum suis fuerat periturus. Sic itaque Dominus locutus est Moysi: Nunc advenit Aegypti interitus. Quos enim disperdere volui, supplicio hoc abolere disposui. Ad pristinum statum redeat maris, quod fuerat; ut salutem iustis, interitum operetur iniustis. Confestim iussu divino impetu facto Aegyptii rapiuntur, et ruina aquarum oppressi fluctu volvente in littore proiiciuntur, ante mortui Aegyptii quam incolumes pervenirent Hebraei. Haec vindicta debebatur, ut citius periret, qui consequi denegavit salutem.

Sermo Wiennensis 10

De sabbato

(Leroy, 164-165)

[p. 164] Christianae fidei congruit semper immensitatem operum divinorum iugi admiratione instanter cogitare animo, perspicere sensu, narrare sermone ut dum in his semper devote versatur, ex creatura creatorem agnoscat, ex opere opificem sentiat, ex factura factorem suspiciat veneretur ac timeat. Hac de causa efficitur ut et se noscat et Deum intelligat et sui notitiam habeat et Dei potentiam extimescat.

Nec enim quisquam hominum poterit creatorem cognoscere nisi eius creaturam tractando pernoscatur, aut quid tantae potentiae esse debeat poterit invenire, nisi creaturae famulatum et cunctarum rerum obsequium cogitando potuerit vestigare, ut provocatus exemplo tanto, magis sibi serviendum cognoscat quanto cuncta servire genitori intelligat nec se solum rebellem esse patietur cum cognoverit magis sibi esse parendum, cui ista cogitare vel noscere prae omni creatura Deus ipse permiserit.

Nam nemo qui nesciat in praeteritum Hebraeis vacationem sabbati idcirco divinitus esse imperatam ut memoria operum Dei et mundi fabricae recordatio per septenos dies ita celebraretur a cunctis ut dum singula perspicerent, diversa tractarent, tantarum rerum ac talium mirantes artificem, non modo eius laudibus occupati sed ab omni mundana cura tunc vacui, iustitiae opera his saltem [p. 165] frequentantes diebus, si quas forte ceteris diebus contraxerant culpas, hac die purgarent atque corrigerent, ut ex sabbatorum diebus cognoscerent qualiter ceteris diebus vivere debuissent, ut et ea dies bonis operibus adsueta ceteris diebus vivendi formam induceret et iustitiae exempla cunctis temporibus propagaret. Unde Christus eiusdem *sabbati Dominus* (Mt. 12,8) et interpres diversa curarum mirabilia virtutum in salutem hominum sabbatis exercebat, ostendens atque demonstrans hunc diem maxime sanctis operibus frequentandum. Ipse enim dixit: *Observa diem sabbatorum ut sanctifices eum* (Dt. 5,12), ut operis mundani vacatio misericordiae operibus pensaretur, ut ex sese ostenderet quid cunctos sub sabbato constitutes operari die voluisset. *Dicite, inquit, mihi: licet hominem sabbato salvare aut perdere, animam salvificare an interficere* (Mt. 12,10-12)? *Bos enim tuus si sabbato ceciderit in foveam, nonne extrahis eum? Igitur licet*

sabbato benefacere. Nam caecum a nativitate sabbatis oculavit, paralyticum triginta septem annorum sabbato plene ac perfecte curavit, aridam manum hac die in statum pristinum reddidit, spicas discipulos ista die vellentes David exemplo defendit. Et ne singula recensendo moremur, Scripturae testimonio hoc quod dicimus comprobemus. Prophetam, inquit, persequiebantur Iudaei Christum quia ista sabbato faciebat, sicuti ad eos Dominus dixit: *Indignamini*, inquit, *mihi qui totum hominem sabbato curavi* (Io. 7,23). Et ne solius Dei obtulisse videamur exemplum, Eliseus propheta sanctissimus viduae filium unicum mortuum sabbato suscitavit, Ierico civitatem Ihesus Nave filius cum populo sabbato vicit, Macchabei sabbato non pugnantes victi sunt, pugnando vicerunt. Unde veteribus ac novis probatur exemplis vacationem sabbati culpa esse non victus, peccatorum esse non operum. A delicto vacandum, non a negotiis esse cessandum. Dum enim divina opera cogitantur et virtutum effectus implentur, vitiorum memoria aboletur et salutis lucra conduntur.

Bona sunt, o homo, quae instituit Deus: prius hac die septima requievit, hanc diem benedixit, hanc sanctificavit, hanc vacatione ipse primus dedicavit: hac denique in meditatione operum suorum in effectum salutarium rerum te quoque vacare praecepit. *Vacate*, inquit, *et cognoscite quia ego sum Dominus* (Ps. 45,11). Qui bonus a bono effectus es, mala operari non debes. Imitator creatoris existe ut bonis operibus deditus factoris Dei exemplum gaudeas imitatus. Sancti actus occupent vitam et tunc numquam meditaberis culpam; si salutaribus vacetur officiis, in opere manus non dabitur vitiis. Tunc scies non ab opere victus sabbato esse vacandum, cum cognoveris tibi iustitiam exercendo numquam esse peccandum.

Sermo Wiennensis 11

*De virtutibus per legem i.e. per archam Testamenti factis et inde maiestas
venerandae legis ostenditur
(Leroy, 166-168)*

[p. 166] Si in origine mundi protoplasti Dei iussa servassent, si ex ipsis post nata progenies naturae iura intra certa metarum spatia coarctaret, numquam nec Dominus offenderetur, nec diabolus grassaretur. Proinde nec mors dominaretur in homine, nec diverso iudiciorum genere mortalium milia caederentur dum aut diluvio scelerata merguntur, aut Sodomitae imbre flammifero abolerentur, aut Aegyptii post plagas innumeras mari rubro digne ac merite delentur. Quibus post clades Israelitis Dominus in heremo legem constituit, iura conscripsit, praecepta signavit. Liberati enim parere debuerant in legibus Domino qui parverant pharaoni in Aegypto, ut liberatori Deo servirent qui praedoni ante servierant et gratum Deo exhiberent obsequium qui non otiosum exhibuerant servitutis officium. Et quamvis ab exordio mundi sine lege homo non fuerit, quam legem et Abel sanctissimus noverat et Enoch translatus perfecerat et Noe arcae fabricator impleverat ceterique sancti servaverant aut profani contemnendo perierant, tamen liberatus ab Aegypto populus evidentius fuerat instruendus ut et quid observaret addisceret et quid declinaret audiret.

O miranda benignitas Dei, o liberati in exitu populi! Imponitur scribendum legis necessitas Deo, in litteris voluntas eius exprimitur et salutaria iura populo liberato conduntur ut tanto sollicitior populus redderetur quanto sua manu scriptam legem eis dedisse Dominum nosceretur. Pendet voluntas legis in arbitrio hominis, ius divinum hominum voluntati committitur ut de electione

hominis iudicium coeleste nascatur: audit quid gerat, discit quid fugiat. Instruitur et docetur quid de observantia quidve de contemptu proveniat; fit beata voluntas si fidei voluntati consentiat.

Gaudet et Deus si homo in lege proficiat; fit enim felix hominis causa si ei observantia attulerit vitam nec contemptus illi adferat poenam. Quid agis, contemptor, Deo quam excusationem obtendis? Propter te tabulae lapideae inciduntur, propter te ab eo lex tota conscribitur ut tibi observandae legis formido nascatur.

[p. 167] Respice maiestatem eiusdem legis diversis virtutibus operatam dum Iordanis fluvius praesentia eius siccatur, dum in medio alvo viae spatium aperitur et universo populo iter mirabilie exhibetur. Respice, inquam, Iordanem fluvium cuius aquarum proclivitas impetum perdit, cuius institutum lex ipsa mutavit, dum in se replicato impetu festinans unda rediit. Statuitur <fluvius>; quin immo unde venerat revocatur nec solitos potuit cursus repetere donec populum totum cum area conspiceret pertransisse.

Ierico civitas vallata muris, portis clausa, armatis instructa eiusdem legis praesentiam ferre non potuit: non enim aries violenter saxa contundit aut ars bello perita aliqua machinamenta composuit aut trabifero libramine dispositos impetus in muros iracundus miles excussit, quibus aut demolirentur turres aut saxa excluderet aut portas effringeret, sed solo septimo per septem dies confecto circuitu una ipsa exclamazione tot*i* muri> cum portis et turribus corruerunt. Taceo istius legis maiestate Amorreorum gentes esse deletas, sileo Azotos diversis plagis affectos, taceo... unum ex populo indignum loco, indignum merito, qui cum eandem arcam impudenter attingeret interiit. Hancne legem quisquam audet contemnere? Huius legis iura impune aliquis poterat violare? Pro nefas! Expavescit fluvius, muri cadunt, gentes pereunt et homines desperata mente contendunt. Humanas leges nullus umquam sine poena contempsit, nullus sine gloria observavit; principum iussa edita, iudicium cuncti formidant; quanto sollicitius divina implenda sunt quae eundem habent iudicem quam habent auctorem. Nullus aliquando serviendo offendit, nullus contemnendo promeruit; numquam contumacia invenit praemium, numquam observantia perdidit beneficium.

Te iam homo Dei, convenio, tua obsequia quae a te debentur exquiro. Propter te fluvius Iordanis expavit, Ierico civitas corruit, Amorrea natio interiit. Accipe de transactis exemplum, sume de praeteritis salutare iudicium: metue legem ut tunc Iordanis metuit fluvius, cade adorando ut Ierico concidit murus, time ne incidas contemnendo quemadmodum Amorreorum incidit populus. Non enim lex hic propter Iordanem data est ut timeret, aut propter Amorreorum populum ut periret; tibi antiquitas negotium gessit, tibi Dominus virtutum gloriam procuravit ut te signa excitent, miranda provocent, virtutes instigent; poteris enim observando vivere; contemnendo multos conspicias interisse.

[p. 168] Dictum est de decalogo, dicendum nobis est de evangelio. Et quamvis decalogus et evangelium unum habeant eundemque auctorem, tamen decalogi virtutes facile numerantur, evangelii vero numerari non possunt. Non enim virtutes eius a solo Christo perfectae sunt, cum constet apostolos sanctos maiora etiam ipsos fecisse et in ecclesia numquam ista cessasse dicente ipso Domino: *Si credideritis, maiora his facietis* (Io. 14,12). Testimonium virtutis probatio est qualitatis; nec enim potest virtus deesse qua veritate Dominus consuetus est demonstrari. Sed et illa quae per decalogum gesta sunt, etiam in novo gesta esse noscuntur, ut perfectio evangelii etiam decalogi secum spiritualiter gesta contineat. Fluvius enim Iordanis qui aliquando legem divinam

expavit, nunc <etiam> et placidus Christum Dominum baptizavit; Ierico civitas quae fuerat aliquando obstructa, quam hostes obcluserant, inimici firmaverant, rex ipse, id est diabolus, de intus obsederat, virtute Christi deiecta et evangelii maiestate prostrata, interfectis hostibus id est spiritibus nequam subactis, christianis iam patuit et habitandi locum Dei famulis fecit; Amorreorum gens, id est, alienigenarum populos per totum iam orbem diffusos non iam gladius Hebraeorum peremit sed doctrina Christi in agnitionem veritatis adduxit, ut *gladios iam in aratra et lanceas in falces* (Mi. 4,3; Is. 2,4) vertentes, spirituale certamen cum diabolo gererent et nova proelia cum daemonibus committerent ut inter sese homines cum hominibus mitescant, invicem pads foedera retinentes, solo cum hoste bella committerent et palmarum titulos cumlarent.

Quid de virtutibus dicam quas ipse Christus exercuit, quid de evangelio quod prior ipse complevit, quid de indulgentia quam contulit, quid de praemio quod promisit? Ad terras descendit ut nos levaret ad coelum, corpus induit ut spirituales efficeret, mortem obiit ut vitam credentibus exhiberet. Nos peccavimus et Christus perimitur, nos contempsimus et ille mactatur.

Quid pro tantis ac talibus reddimus, quid pro cunctis Christo Domino exhibemus? Exerce quantas poteris vires, excita animi devotionem, non compensat quod facis si intelligas quod mereris. Omne obsequium praemio minus est, omnis servitus futura gloria levis nec poteris merito compensare quod credis, cum idipsum <quod> credis extimare non possis.

Te iam Christiane, convenio, tua obsequia quae promittis exquiro. Te, inquam, convenio, qui genitoris lege constringeris et hortamentis dominicis provocaris. Tu in veteribus instrueris, tu in novis armaris; tibi praeterita exempla proficiunt, tibi Christi merita procurantur. Fuge malorum contemptus et bonorum appetite famulatus nec poteris praemia promissa percipere nisi legum iussa contenderis adimplere.

Sermo Wiennensis 12

Ubi Moyses contra Amalecitas oratione pugnabat
(PLS 4, 684-687)

[c. 684] Stabat Moyses in monte non armis, sed precibus pugnaturus: stabat extensis manibus ad coelum, devoto orans affectu non de terra, sed de coelo auxilium postulabat. Pugnabat cum hostibus absens, cum externis sine bello decertat: ut quem loci diversitas ab inimicis seiunxerat, orationis effectus bellatorem praesentem hostibus exhiberet. Fit Moyse orante occulta pugna, sed manifesta victoria: latenter dimicat, ut evidenter devincat. Solus orat, ut multi salventur. Stabat Moyses in monte proximus iam coelo, iam vicinus syderibus. Et quanto eum sublimitas montis extulerat: tanto oratio Deo proximum exhibebat. Fit Moyse orante victoria, cessante moestitia: potentior hostis efficitur, iusti corpore fatigato. Desinit Israel vincere, Moyse desistente in prece: ut dum diversa populis exhiberentur, orationis potentia nobis monstraretur. Denique tamdiu ista diversitas valuit, quamdiu oratio defuit: perseverante prece, perseverans victoria roboratur. Iam geritur pugna cum hoste, iam Amalech precibus debellatur. Commendatur Hebraeorum populus Deo, [c. 685] quem hostilis immanitas provocarat ad bellum. Oratio in ultionem inimici dirigitur, cuius scelera iam interitum provocabant: nedum Moysi oratio circa victoriae effectus minus valeret, inimici virtus in populum Dei potentior esset: et non iam coeleste, sed humanum certamen ab omnibus putaretur. Quis enim iustorum non orando,

pugnavit? Quis hostem non orando, devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammae, ferae hebetescent, cadunt hostes, inimici vincuntur. Onanto enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior veniet inimico vindicta. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari, cum velis: licet precibus mercari, quod optas. Et quamvis vocem eius audire non possis: tamen dum id, quod petis accipis: colloqui tecum, etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur. Et factum est, inquit, *cum levaret manus Moyses, praevalerat Israel: ubi autem submiserat manus, invalescebat Amalech* (Ex. 17,11). Bellum Christianis indictum, hoc exemplo monstratur: belli effectus, orationis instantia aperitur. Orat enim Moyses, et vincit: cessat, et vincitur, Didicit Christianus quid gerat: invenit, quid fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat: quamvis instantius Christiano orandum sit: et quia periculosior hostis est et pro se ipso non pro altero pugnat. Moyses enim et contra hominem, et pro aliis orando pugnabat: Christianus vero et pro seipso, et contra diabolum pugnat. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere noluit, dum orando cessavit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat: non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyse excusari non potuit: quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari? Unde apparet vires hosti illum dare qui cessat: et sese ei subiicere, qui non orat, quod totum est odisse sua, et diligere aliena: sibi ipsi hostem existere, dum contra hostem nolit iugiter exorare. Hostis enim, dum oras, premitur: dum cessas, erigitur. Iniuriam nobis ab homine nonnumquam illatam impatienter, quod non licet, ferimus: et maiorem contumeliam in illum, qui intulit, revocamus. Tu contumeliam tuam a te tibi illatam, quomodo in te ipsum poteris vindicare, qui ab alio illatam non potes sustinere? Aut tu in te ultionem cui mandabis: cum contra te ipsum hostem erigis, dum eum in te non orando admittis? Oratio iugis, infirmitas hostis. Caeterum ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat. Quare orationis instantia, hostis saevitia **[c. 686]** debellatur: non resumat vires, dum parcimus: non erigatur, dum aliquando cessamus. *Oportet*, inquit, *semper orare, et non deficere* (Lc. 18,1). Dum *oportet*, dicit: necessitatem inducit. Necessitas autem tanta vi astringitur, ut quod necesse est, et si nolis, praeterire non possis. Denique manducandi, bibendi, vestiendi, necessitas a natura illata praeteriri non potest: sine quibus geri vita ista non poterit, aut praetermitte ista, et vive: sine quibus vivere non potes, si praetermittis. Igitur si praetermitti ista non possunt, sine quibus vita ista non potest celebrari: quemadmodum tutus ab hoste esse poterit qui quod *oportet semper, orare* contempsit? *Petite*, inquit, *et dabitur vobis* (Lc. 15,7). Optat dare, qui praecipit petere: beneficia ingerit, qui poscendi hortamenta exprimit: cupit largiri, qui desiderat postulari: ille suadet, qui praestat: ille hortatur, qui donat: occasiones ille dandi exquirat, qui beneficia tribuere consuevit. *Petite*, inquit, quod vultis, et faciam: postulare, quod desideratis, ut compleam. Talem me sentietis in dando, qualem nunc in promittendo conspicietis. Magna foelicitas hominis, si beneficiis responderit creatoris. Habe fiduciam Christiane, ut petas: pete, quod desideras, ut accipias: si tamen te actus indignum non faciant: si facta, quod vocaris, ostendant. Deus enim tibi et petendi fiduciam tribuit, et voluntatem dandi se habere ostendit. Caeterum cessant beneficia, ubi mala non cessaverunt facta. Tunc enim tribuitur, quod optatur, si bonos actus morum probitas comitetur. Ipse se amabilem facit, qui causas, quibus obsequatur, inquirat. Etenim odio dignus est, qui aliud quam quod profitetur exercet. Sed si peccatorem se quispiam novit: damnet vitia, delicta horreat, peccare desistat. Plus enim Deus unius poenitentia commovetur, quam iustorum merito delectatur. *Sic erit gaudium in*

coelo, inquit, super uno peccatore poenitentiam agente: quam super nonaginta novem iustis, quibus non est opus poenitentia (Mt. 7,7). Nemo ad eum aliquando flens accessit: qui non, quod postulavit, accepit. Nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetravit, quod voluit. Ipse est enim, qui consolatur flentes, dolentes curat, poenitentes informat. Detestare peccata, si officia poenitentis invadis. Aut si peccare delectat: quare sic poenitentiam, quam profiteris, infamas? Contumacie crimen est quod oderis, facere: quod damnaveris, velle: quod horrueris, exercere. Amare probatur, qui quod odit, exercet, et odisse vicissim, qui quod se amare mentitur. Neque enim **[c. 687]** poterit excusari, cuius verba aliud sonant, et aliud facta demonstrant. Doleat peccator aliud se esse, quod fuerat: lavet lacrymis, quod delictis infecit: curet fletibus, quod peccando vexavit: gemitibus purget, quod contemnendo commisit. Si poenitet, corrige: si dolet, quiesce. Curet poenitendo, quod fecit: ut possit recipere, quod amisit.

Sermo Wiennensis 13

De Gedeone

(Leroy, 169-171)

[p. 169] Et factum est in illa nocte exierunt trecenti viri cum Gedeone contra Madian et Amalech et dedit singulis Gedeon *faces ardentes et hydrias et tubas* et singulas dedit *in manus eorum et dixit ad eos: quod me videritis facientem* (Iud. 7,16-22) hoc vos quoque facietis. Et signo dato confregerunt hydrias, cecinerunt tuba et clamaverunt *una voce dicentes: Gladius Deo et Gedeon*. Et expaverunt Madianitae et exsurrexerunt festinantes et percussi sunt dementia, ita ut sese ipsi suis gladiis interficerent, illi vero trecenti adlucebant eis de facibus suis.

Exeunt trecenti viri in bellum, non pugnatores sed testes nec qui bellum cum hostibus gererent sed qui gestae rei relatores fuissent. Eunt contra multos pauci, contra armatos inermes, contra saevos inbelles, Deo pugnante meliores, ut hostium furor qui in necem iustorum proruperat in semet conversus sibi ipse existeret et populus Dei sine certamine belli, sine armorum potentia, victoriam de hostibus reportaret.

Fiunt adversarii repente nec suis qui fuerant nec nostris qui venerant, fiunt, inquam, adversarii nec nostris hostes nec suis parcentes. In istis constitit utrumque ut suorum hostes effecti contra seipsos ipsi pugnarent: non filium parens, non parentem filius noscit: nemo fratrem, nemo proximum novit: furor enim omnium dominans cunctos sibi hostes effecerat; festinant properant coguntur implere quae Dei potestas urgebat.

Indignum enim visum est Deo scelerum tantorum reos iustorum manibus interire quominus dementiae furore percussi ipsi iniquum quod merebantur inferrent. Turbatur enim mentis officium ubi sanitatis deest consilium nec facile rationis compos redditur cuius animus furore dominante caecatur. Pravitas cordis eversio est hominis, perversitas voluntatis poena est peccatoris. Supplicium enim desuper meruit cuius voluntatem mentis pravitas immutavit. Cessat utile remedium ubi meritum provocavit supplicium nec medentis medelam recipit quem divina plaga in exemplum ceteris procuravit. Insanabilis cura est ubi medicina adversa est, periclitatur reus cui iudex fuerit inimicus, inexorabilis efficitur poena cum servus sic offendit ut Dominus placari non possit.

[p. 170] Disce qui timeas de exemplo ne ipse venias in exemplum, time quod alius patitur ne in par iudicium exeratur, time, inquam, ne quod et patitur ille qui non timuit patiaris. Gaude quod alius castigatur ut discas, laetare quod alius torquetur ut timeas, exulta quod alius moritur ut vivas. Aliena mala in propria bona converte, quod malum est alii, bonum est tibi. Castigari enim poteris si alio vapulante timueris.

Interea dimicantes inter se hostes gloriosum <exitum> exhibent iustis dum alii conserta pugnantium manu dant accipiuntque vulnera, alii volantia tela excipiunt, alii effossis iugulis cadunt, alii spumant, gladios in vulneribus suis eripiunt ut eodem telo hostem perimerent quo ipsi morituri fuissent. Alii iam laesi dum se ulcisci festinant deficiunt, nonnulli lacertorum viribus toto vertice fundam excutiant ut saxum quod iecerant tanto ictu veniret quanta fuerat virtute proiectum.

Haec interea dum geruntur, dum funestas hostium furias et telorum volatus terribiles <...>, iusti laeti exultant: non eos strictus mucro deterret, non corruscantium armorum fulgor exagitat, non fluentium viscerum sanguis exanimat. Numquam cedit, numquam terretur qui innocentiae felicitate armatus est. Occurrant licet furiarum saevientium faces et terrentis crudelitas belvarum rabiem vincat, naturalis humanitas crudelitate mutetur, furor saevientis occupet mentem, vultum immanis rabies mutet, crudelitas colores alternet, stridor indicet furiam, tota facies in rabiem migret, terreat semet ipse qui terret, immobilis perstat qui coelesti protectus est auxilio, sic proeliatur ut vincat.

Ignorabat, [ignorabat] namque Madian potentiam Dei; Amalech oblitus est interims sui, putabat se Deo absente pugnare, cuius virtutem in multis audierat, in se iam totiens viderat. Tunc si pharaonis plagas et interitum tantummodo audisses, si Aegyptiorum multiformes ruinas et tormenta saevissima quorundam relatu addisceres, si Amorreos immanissimos reges reliquosque Domini hostes populiue eius rebelles diversis interisse generibus meminisses, haec solummodo causa tibi in exemplum proficeret, tibi hic furorem depelleret, salutem tribueret nec talis esse voluisses quales illos fuisse cognosceres, gauderes tibi perditorum exempla prodesse ne ipse aliis exemplo fuisses quidque totiens victus quotiens audere conatus, totiens deiectus quotiens audacter es ausus; totiens enim interisti quotiens pugnare voluisti. Unde intelligitur interitus vester causam fuisse pugnandi. Severius enim pugnatur qui reorum supplicium spectans non modo non frangitur sed in augmenta malitiae provocatur: sua poena desiderat alios corrigi qui aliena ipse voluerit informari, salutis iacturam patitur cuius facinora omnibus momentis augentur, amare suam conspici poenam qui in se non correxerit culpam; cessat medentis remedium **[p. 171]** si aegrotus medici contemnit imperium nec misericordia proficit instrumentis si crescit perfidia peccatoris; pietate indignum deputat sese qui poenam peccando putaverit declinare, suam detestatur salutem qui comminantem despexerit iudicem. Amat mortem qui salutiferam contempserit legem nec inde se vivere deputat posse nisi alium conspicit interisse. Uniformis est enim iustitia Dei non potest alteri esse bonum quod alteri est malum, <non potest alteri esse malum> quod alteri fuerit bonum nec alii salutem poterit operare quod alii vitam constiterit denegasse.

Peragitur interea bellum, pugna conficitur, proelium in nocte finitur, funduntur alii, alii delitescunt, in fugam multi vertuntur. Iam fulgida oriens properat dies, iam fugatis tenebris aurora rubescit, iam clarescit luce purissima coelum et fulgentis radios solis inferet mundo. Cuncta festinant: optat videre victoriam qui bellum videre nequiverat.

Tunc Hebraei ad suos nuntios mittunt, socios vocant: Venite, inquit, venite obviam nobis, gaudiorum nostrorum estote participes, estote nobiscum sine pugna victores, spolia capite praedarum. Hostes non evadant quos proprius ensis Dei virtute fugavit. Exeunt cuncti, exeuntque omnes, spolia capiunt, hostes praedantur, exultant quod et incolumes de proelio revertissent et quod hostes mirabiliter deviassent et quod potentia Dei cunctis gentibus monstrata fuisset.

Sermo Wiennensis 14

De Iob

(Leroy, 171-174)

[p. 171] Tunc dicit Dominus ad diabolum: *Animadvertisti ad puerum meum* (Iob. 1,8)? Laudat Iob sanctissimum Dominus et inflammatur in eum atque incenditur inimicus; Deus pueri sui praedicat meritum et diabolus contra eum crudescit in peius. Invidet hostis laudi sanctorum nec praedicari de quoquam magnifica patitur; non gloriae titulos, non victoriae palmas, non virtutum gesta, non meritorum praeconia sustinet indicari, ne aut victum se doleat aut prostratum maereat aut iam fatigatum exhorreat; sed audacter occurrit, contradicit avide, insolenter refellit promittens sibi vel de futuro victoriam etiamsi praeterito victus, ipse de se exigit poenam. Denique laudanti Domino contradicit et [p. 172] singulare eius meritum praedicanti sacrilegus ac funestus occurrit. Ista, inquit, quae in Iob praedicas tua sunt, quae in eo laudas, tibi, non ei conveniunt; dum enim benedicis eum, tueris filios, patrimonium aggeras, pecora cuncta multiplicas, si talis efficitur ut beatus ab omnibus deputetur, talem eum tua benedictio, non merita eius efficiunt. Denique, tribue mihi in eum quam desidero potestatem; nocendi facultas non deest: accedam conviviis, patrimonium vastem, pecora exterminem, filiis inopinatam inferam mortem; tunc eius explorabo patientiam, probabo virtutem et an benedicat agnoscam.

Scelestissime hostis! Iob sanctissimus a Domino non quia laudatur meretur, sed quia meretur laudatur. Non enim umquam sine merito laudari quispiam potuit aut sine laude esse potuit qui bene de Domino meruit; laus enim et meritum ita coniuncta sunt atque connexa ut sine altero alterum esse non possit, ut nec laus sine merito aliquando proveniat nec meritum sine laude consistat. Nam quod laudari Iob sanctissimum conspicias, scito istam laudem non esse vacuum et inanem sed magis ex merito provenisse, qui iam diu tecum confligens victoriam de te expectante Deo percepit. Non enim tibi prima haec erit cum illo luctatio quam in praesenti deposcis, quam truculentus ac saeviens expectas, quam tibi tribui sacrilego furore requiris. Olim, olim, inquam, inter te et Ilium bella geruntur, olim pugnae non desunt, olim de te eius victoriae et palmarum tituli cumulantur.

Denique ipsius divinae laudis ordinem et verba recense: *Animadvertisti*, inquit Dominus, *in puerum meum Iob* (Iob. 1,8)? Primo de te, diabole, Dominus quod noverat quaerit, quod sciebat exigit, quod probarat exquirat. Animadvertisti, inquit, in eum quemadmodum tuas insidias caveat, dolos fugiat, fallacias subtiles excludat? *Non est illi similis quisquam in terris* (Iob. 14,1); nullum, inquit, talem in terris conspicio quem contra te pugnare tam atrociter cernam, dimicare fortiter videam, victorias de te cumulare cognoscam. Homo est enim *sine querela* (Phil. 2,15) quem in nullo umquam obduxeris aut fallere diversis

praestigiis potueris, aut eum assidue pugnando permoveris; quis enim Dei cultor qui sic me suis actibus promereri contendat ut a te intentata respuat, ingesta repellat, subtiliter cogitata illudat, abstinens se ab omni opere malo. Sicut enim pugna non geritur sine certamine nec sine proelio adimpletur triumphus, sic mali abstinencia victoria boni est. Tunc enim auctor malitiae convincitur quando de suis bonitatibus Dominus gloriatur. Igitur, istae laudes quas in Iob protulit Dominus, purae sunt vitae insignia et victoriae sunt perfectae praeconia. Tamen quia poscis, inquit Dominus ad diabolum, accipe in haec *tantum quae habet* (cfr. Iob. 2,12) quam desideras potestatem, ut nunc quoque idem Iob atrociter vincat qui te aliquotiens pugnando vicit. Mox autem ut diabolo potestas est data, indicitur Iob sanctissimo bellum, insperate provocatur in proelium; armatur in furore hostis, insania incenditur, crudelitate bacchatur; iam furit, iam insanit, iam [p. 173] saevit, iam sese ipse accendit, iam cogitat singulis rebus exitium, iam perdendis cunctis unum excitat † ipse † ut massatim cuncta disperdens tum respirare non sineret nec permetteret anhelare. Sed Iob sanctissimus in isto certamine quae patrimonii genera perdidit, tot palmarum titulos adquisivit. Adeo diabolus uno momento eius oves combussit, camelos adduxit, asinas perdidit, boves abegit et ruina eius filios epulantes occidit. Dehinc diabolus ordinat per singulos, disponit diversos qui singularum rerum labem et filiorum interitum nuntiarent, ut funestis sibi succedentibus nuntiis semel eum referendum in assa comprimerent et totius patrimonii comparatus interitus ad illicita provocaret. Et Iob iam patienter cuncta pertulit, qui in adversis Dominum benedixit. Denique tolerat Iob et diabolus vincitur, damna contemnit et inimicus prosternitur, benedicit Deum et de hoste victoria reportatur.

Contra te sunt, diabole, contra te dimicant universa. Malitia tua Iob amisit vires et crudelitas nocendi perdidit facultatem. Si quid laborasti, vanum est; si quid voluisti, ineptum. Iob enim sanctissimus alia perdidit et alia acquisivit; alia amisit et alia religiosus invenit. Glorias eius cumulas dum in eum diversa excogitas nec eum poteris vincere, quem superare numquam constitit potuisse. Mox virtus in ablatis facultatibus <...> iterum repetit Dominum ut ab eo ipsum Iob gravius appetisset; qua potestate percepta repetit bellum, certamen atrocissimum parat. Tunc itaque saevior quam fuerat redit et totas crudelitatis exserens vires, in eius corpus violenter incumbit. Qui ab eo crudeli plaga percussus et vulnere saevo affectus, cedit domo, civitatem relinquit, conspectum hominum deserit. Et ille, inquam, tantae claritatis et gloriae in *acervo stercoris* (Iob. 2,8) sedens, testa fluentes sanies et in lumen erumpentes abradit. Ibant itaque per omne corpus reptantes bestiolae et singularum specum inquilini vermes tabo madidatis fluebant; putrescunt inluvies artus et destillanti sanie domus immunda squalebat, iacebat sordida tabe versum in putredinem corpus, anima iam et delassata malis, dolore incremente, gemebat.

Cuncta membra in Iob sancto deficiunt, devotio sola non deficit. Pugnat enim cum corporis labe, cum saevo dolore, cum acerba diaboli crudelitate; pugnat, inquam, contra crudelem, contra saevum patiens, contra reum innocens dimicabat; huic saevit diabolus. Inde tolerantem laetus aspicit Deus, hinc recrudescit inimicus; inde gloriatur in suo famulo Dominus, hinc crudelitas hostis ut tanto potior victoria iusti existeret quanto hostis saevior extitisset.

[p. 174] Quibus omnibus victus, per uxorem inimicus gemmat bellum; armatur et ipsa in eum quae taediorum et improprietatis proferens verba ipsum quoque ad illicita persuadere quasi per uxorem eum posset decipere, quod

aliquando fecerat in origine. Sed Iob sanctissimus exemplo iam doctus et protoplasti periculo eruditus telum quod per mulierem iniecerat inimicus in ipsum hostem convertit et eo illum victor atque incolumis iugulavit. Ubi vinceris, tot triumphos Iob victor de te reportat quot causas volueris subrogare; ceterum te necesse est ab eo vinci in cunctis, qui te iam totiens superavit. Dolet labem corporis, tamen Dominum benedicit; cruciatus patitur sed tibi numquam subcumbit; ab uxore fatigata lassatur sed tamen ei fortiter reluctatur. Nec non gravior per amicos eius illi alia procuratur tentatio; qui cum ad eum venissent stupentes plagam, tremantes iram et dolorem vexationis atrocissimae contemplantes, nec agnoscere eum nec considerare potuerunt et acerbi maioris exercentes iudicia <...> post dies septem silentia Iob primus erupit. Dehinc ipsi pro consolatione iurgium, pro alloquio improprium, pro blandimento conflictus asperos protulerunt. Fieri non posse, inquiunt, ut bonis Deus mala rependat aut iustos adversis affligat. Aut enim tu peccasti, aut filii; ceterum Deus iudicia sua non mutat, nec malis prospera nec contraria bonis importat. Sciebant igitur amici Iob sanctissimum iustum, sed passionis eius non intelligunt meritum; norant eum in omnibus probum sed taliter mirabantur affectum; ab eis eius integritas consideratur sed iudicium coeleste non noscitur; norant Iob sanctum amici, sed norant et iustum iudicem Dominum; postremo malebant passionem istam ei culpa adscribere quam iudicium coeleste culpae. At ubi Iob crebris obiurgationibus commovetur et ipse in eos frequenter invehitur.

Tandem Dominus suum famulum victorem aspexit et mox ei sanitatem, filios et duplicia cuncta restituit. Tunc victus est diuturno conflictu diabolus et propitius redditur Deus. Gaudet Iob beatus et maerens prosternitur inimicus. Insultat diabolo, insultat Iob sanctissimus tibi, insultat, inquam, tot passionibus victor et multiplici proelio triumphator; qui patrimonii labem ut te vinceret sprevit et corporis poenam ut te prosterneret superavit; qui amicorum pertulit iurgia et uxoris sustinuit impropria et victor [ut] super quae perdidit duplicata recepit et beator postmodum cum uxore et affectibus vixit.

Sermo Wiennensis 15

De confessione, super illud psalmum "Confitemini Domino quoniam bonus"
(PLS 4, 736-737)

[c. 736] Spiritus sanctus medelam purgandi facinoris, et curam admissi delicti obtulit, dum qualiter iram Dei placaremus, ostendit. Non vult peccatoribus inferre vindictam, qui dare quaerit confitentibus veniam. Non enim vult irasci, qui praestruit: sanitati consulit, qui medicinam vulneribus suggerit: misereri cupit, qui reo salutis consilia et utilitatis remedia tribuit. Caeterum punire non vult, qui ad hoc praemonet, ne cogatur ulcisci. Vult aboleri offensam, si qui offendit, damnaverit culpam: vult confessione iam vivere eum, qui praecepta contempserat periturus: ut cui peccatum attulit mortem, et confessio afferat sanitatem. Confessio enim poenitentiam monstrat: satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat. Nec enim poterit indulgentia tribui, nisi ira Dei possit confessione placari. O veneranda pietas Dei. Peccamus, et parcat: delinquimus, et ignoscit: offendimus, et adhuc placatus existit. Unde qualis erga iustos sit, monstrat: dum talem se erga peccatores ostendat. Nec peccator iam poterit excusari, qui confessionem, per quam venia nascitur, non properavit amplecti: quo possit reus gemino crimine detineri: dum primo legem contempsit ut delinqueret et confessionis remedia

amplecti noluit ut periret. Rape tu quisquis es peccator remedia, qui peccando divina contempsisti praecepta. Confessio afferat salutem, cui contemptus attulerat mortem. Vive remediis, qui moriturus fueras aliquando peccatis. Consilia amplectere ad salutem data. Hortamenta divina provide ac libenter admitte: peccatorum indulgentiam confessione instanti mereare. Quid horres fateri, quod libenter ac propere commisisti? Cur confunderis dicere, quod non confusus es perpetrare? Cur vereris Domino indicare, quod veritus non es ipso praesente committere? aut numquid eum putas admissa nescire, nisi a nobis quae commisimus, noscat? Aut ignorare quae fecimus, putas nisi nobis confitentibus discat? Peius est confiteri nolle, quam legem contemnere. Peius est admissi poenitentiam spernere, quam monita divina despiciere. Peius est Dei [c. 737] offensam non satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. Et quamvis peccandi causa gravior videatur, levior tamen frequenter existit dum confessione absolvitur, aut contumelia debito mortis expungitur. Denique Ninivitae confitentur, et vivunt: Sodomitae obdurantur, et pereunt: illos impendens supplicium provocat confiteri: hos vicinus interitus non confitendo efficit aboleri. Filii Israel, quoties peccant, hostibus traduntur, quoties se peccasse fatentur, de eorum manibus liberantur. Ita enim nullus unquam peccato evasit: ut nullus confitendo indulgentiam Dei non mereatur. Doceant divina monita, si exempla docere non possunt. *Confitemini*, inquit, *Domino quoniam bonus est*. Bonum Dominum hoc loco dicit: non iustum, quia qui bonum ostendit, confiteri persuadet. Peccatorem enim bonus absolvit, iustus condemnat. Bonus indulgentiam tribuit, iustus merita peccatorum expungit. Apud iudicem bonum, confessio mater est indulgentiae: apud iustum, poenae debitum. Bonus confitenti tribuit veniam, iustus competentem infert poenam. Unde sic fit ut qui confitendo bonum sentire voluerit, iustum sentiat reticendo: et quem confessio posset absolvere, eius contumaciam possit saeveritas iusti iudicis abolere. Quare consule tibi peccator, dum licet, dum qui offensus est, suadet Dominus: ad miserandum Dominus ipse paratus est. Nam si qui contemptus est, misereri nolisset: rogares, ut vellet, cum ipse misereri desideret. Qui offendit, rogando non desinat: liceat confiteri, cui peccare licuit: liceat petere veniam, cui licuit contrahere culpam: indulgentiam postulet, qui mandata contempsit: veniam optet, qui legis iussa despexit. Confessio reddat, quod peccatum detraxerat. Curet poenitentia, quod delictorum macula sordidarat. Serpentinum virus, satisfactionis antidoto recuretur: peccatorum venena precum instantia depellantur: ut Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia digna placatum. Et qui a nobis fuerat peccatis offensus, confessione nobis misericors reddatur et pius.

Sermo Wiennensis 16

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius
(PL 39, 1851-1853)

[c. 1851] 1. *Confessionis necessitas. Dei ad indulgendum propensio.* *Confitemini Domino, fratres charissimi, quoniam bonus est, quoniam in saeculum misericordia eius.* Remedia purgandi facinoris Spiritu sancto instruente addiscimus; non aliter veniam posse mereri nisi nostra facinora fuerimus Deo iubente confessi. Quid enim celat peccator, quod Deo teste commisit? Quid erubescit fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari? Diluat

ergo confitendo, quod peccando infecerat; satisfactione abluat, quod delictorum maculis sordidarat: sit cautior post delictum, qui ante delictum fuerat segnior; sequatur in bonis actibus Christum, qui in malis diabolum sequebatur. *Confitemini*, inquit, *Domino quoniam bonus est*. Non vult ulcisci malitiam, qui confiteri delicta persuadet: optat solvere confitentes, ne contumaces punire cogatur. Quare admonitio Dei faciat sollicitum, ne severitas faciat punitum. Peccatorum enim nos meritis flagellari frequenter, nemo prudens qui abnuat, nemo stultus qui non intelligat. Vult enim Deus admoneri frequenter, quos putat esse correctos: vult tentationum severitate corrigere, quos sua patientia viderit esse depravatos; vult, inquam, hactenus reformare peccantes, delinquentes corrigere, vocare errantes, et ad spem recuperandae salutis ipsos iam mortuos suscitare. Gaudet enim Deus, si correctos viderit quos emendat: laetatur et si iustos immulatos in melius conspexerit quos flagellat. Ex illo ergo affectu et terrorem, et minas, et verbera in peccatores missa proficere ad pravos corrigendos, quam ad reos puniendos exoptat. Vult enim Deus misereri cunctorum, vult ignoscere, vult se exhibere propitium, si quem mutatis actibus viderit esse correctum. *Si dereliquerint*, inquit, *fili tui legem meam, et in praeceptis meis non ambulaverint, si iustificationes meas profanaverint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (Ps. 88,31-34).

2. *Flagella Dei, beneficia sunt et remedia. De indolentia dolendum*. Haec sunt remedia quibus consulit Deus, haec est medicina qua hominum curantur vulnera; his emendantur utilitatibus, vitia corriguntur, hominum malitia refrenatur. Beneficia haec sunt divina, non verbera; nec ut noceant divinitus irrogantur, quae ad hoc veniunt ut hominibus paterna clementia consulatur. *Ego*, inquit, *quos amo, arguo et castigo* (Ap. 3,19). Et iterum: *Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris, cum ab eo correptus fueris. Quem enim diligit Deus, corripit: flagellat* [c. 1852] *autem omnem filium quem assumit*. Igitur si omnem ad hoc flagellat ut corrigat, ad hoc autem corrigit, ut Patri, id est, Deo dignum exhibeat; timeat qui non flagellatur, ne filius esse non possit: timeat quem corrigere Deus non vult in saeculo, quia eum supplicio destinavit post saeculum: timeat qui adhuc in saeculo gaudet et laetatur, ne in aeternum contristetur et ploret: timeat qui cum iustis in saeculo non dolet, ne cum peccatoribus in supplicio perenni se laceret.

3. *Affliguntur peccatores, ut emendentur; et iusti, ut probentur ac proficiant*. Sed si peccatores, inquit, delictorum suorum merito ista in saeculo patiuntur; cur nonnumquam et sancti viri pariter et aequae cum peccatoribus affligantur, nisi quia ad emendationem peccatoribus, iustis ad probationem ista proficiunt? Ut enim peccatores his remediis corriguntur a malis; ita iusti hactenus augentur in bonis. Illos enim emendat Deus, ut corrigat; hos vero probat, ut augeat: illos a culpa revocat; hos sanctiores sibi reservat. Illic peccata corriguntur, hic merita virtutis augentur - illic recordatio poenitens, hic purae mentis laetitia gaudens. Ille indulgentiam divinam exoptat; hic praemia promissa iam cogitat: ille pium iudicem veniam postulat; hic iustum remuneratorem exspectat: ille sollicitus, ut possit impetrare quod postulat; hic securus, quia potest quod meretur accipere. Nam peccantes saltem emendatione Deus conterit, ne inveniatur malitia crescente quod vindicet: odit enim supplicium, qui ante praestruit ne condemnet. Gaudeat christianus in adversis; quia aut probatur, si iustus est, aut si peccator est, emendatur. Contristetur sane, quem flagella corrigere divina non possunt: timeat futuri iudicii supplicium, qui in saeculo praesenti iudicis contempsit remedium. Gaudeat peccator, si cum iusto

in saeculo contristetur, ut post saeculum cum eodem muneretur. Vos, inquit Dominus, *plorabitis et plangetis; saeculum autem gaudebit. Vos tristes eritis, sed tristitia vestra in laetitiam veniet* (Io. 16,20). Quis non brevi tempore contristari exoptet, ut in aeternum laetitia perenni cum Christo triumphet? quis non praesentis temporis fletus pensare gaudio futuro desideret? Exiguum, momentaneum et breve est, quicquid boni malive in saeculo est. *Tentatio vos, inquit, non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patitur vos ferre plus quam potestis; sed faciet cum tentatione exitum, ut possitis tolerare* (1 Cor. 10,13). Sed etiam tribuit Deus securitatem, et ad tempus fragilitati nostrae indulget.

4. *Militi Christi semper vigilandum. In pace magis vigilandum.* Sit miles Christi armatus, sit sollicitus, sit cautus, sit de Deo solo securus. Vigilet in pace cautior, quam in bello vigilare consuevit: non sit securitate remissus, ne aliqua ex parte subrepat inimicus. *Sobrii, inquit, estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, aliquem devorare quaerens circuit* (1 Pt. 5,8). Quanto hostis vigilat, ut noceat; tanto christianus vigilet, ut vincat. Numquam enim vigilantibus obrepat inimicus; numquam sollicitos circumvenit hostis. Neque enim tunc tantum cavendus est, quando bellum Dei servis indicit: in pace magis vigilandum est nobis; exercendus animus, exercenda virtus, mentis intentio Dei timore firmanda. Facit enim hostis securos, quos cupit esse captivos; facit, inquam, securos, ut incautos subigat, sopitos et inermes opprimat, vulneret eos quos vigilare minime perspexerit. Si quis miles sub imperatoris conspectu certamen cum hoste inierit; quanta instantia, quanta virtute pugnabit, ut placere illi **[c. 1853]** cui militat, possit! Nec stipendium promotionemve poterit adipisci, nisi superans hostem fortiter vicerit. Vigila, christiane, sub oculis Dei, ut perfecta victoria coroneris; pugna cum diabolo, qui iam armatus es Christo: tecum est Deus, qui te optat vincere, tecum est Christus, qui te desiderat munerari. Contemne praesentia, ut percipias futura: temporalia sperne, ut aeterna possis accipere. Possidebis coelum, quod diabolus possidere non potuit; habebis paradysum, unde inimicus exclusus est: accipies aeternitatem, quam praevaricator hostis amisit. Illum ad terram perfidia deiecit; te in coelum fides imponit: ille contemnendo coelesti virtute privatus est; tu serviendo angelica maiestate suffultus es: illi aeterna sunt supplicia destinata; tibi divina sunt praemia praeparata: ille perfidus cum perfidis interibit; tu sanctificatus cum sanctis regnabis; ut qui fueras temporalis et mendicus, sis aeterna gloria decoratus. Nec quidquam in saeculo formidabis; quia auctorem formidinis diabolum cum saeculo respuisti. Amen.

Sermo Wiennensis 17

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius
(Leroy, 175-178)

[p. 175] Clementissimus Deus instruit, hortatur et monet, dum in saeculo sumus, ut admissa facinora fateamur; vult enim Deus peccata ignoscere dum nos confiteri persuadet; vult quae in mundo delinquimus ut prompta confessione purgemus. Timeat igitur peccator celare, qui peccata non timuit perpetrare; non erubescat fateri, qui ut fateatur a Deo se conspicit invitari, ne contumacia perdat quem confessio poterit reparare. Est enim prima felicitas non delinquere, sequens bonis actibus et confessione delicta purgare; is enim peccata confitetur et deflet quem pudet et aliquando peccasse. Ceterum qui peccata non deflet, ut

delinquendo monita divina despexit, sic delictorum medelam non confitendo contemnit; par enim causa est in confessione neglecta ut est in admittendo peccata, quia ut fuit incautus ut delinqueret, ita est improvidus ne delicta confitendo repurget.

Audi vel nunc consulentem tibi post facinora Deum, quem ut peccares audire noluisti; qui te monuit ne delinqueres, idem monet quemadmodum delicta recures. Munus enim coeleste contemnit qui quod Deus praecepit negligit. Volo quae fecisti penitus abolere, si te peccasse paeniteat, si erroris et delinquentiae pudeat, si pectus tuum quod facinus admissum occultat, confessio salutaris aperiat. Ceterum, si celaveris quod me teste fecisti, impunitus non eris, qui confitendo esse poteris absolutus.

[p. 176] Bonus est Deus, o homo, qui te vult confiteri quod novit. Nec enim scire aliter quod admiseris non potest, nisi tua confessione didicerit: novit ille mentis arcana et secreta viscerum cernit, nihil illi celatum, nihil ignotum est; etiam illa quae nondum homo cogitat novit; sed vult a te proferri quod feceris et si quid hominum notioni celatur, confessione tua desiderat aperiri; vult ad iudicium expiatum venire quem muneret, non delictis obnoxium quem condemnet. Denique post delictum Adam interrogatur a Deo: *Ubi es* (Gen. 3,9), inquit, Adam? Ad eum loquitur, eum coram intuetur et ubi sit percontatur. Non enim ubi erat, Dominus ignorabat sed confessionis illi aditum demonstrabat; ceterum ita sciebat ubi esset, ut norat quid admisisset. A Deo serpens diabolus interrogari non meruit quia salvari non potuit. Adam enim interrogatur ut vivat, serpens sine interrogatione damnatur ut pereat. Ut enim homini per confessionem consulitur, ita serpenti confessionis via ut intereat denegatur. Adae confitenti coelesti consilio providetur, decipienti diabolo sententia divina occultatur; homo confitendo salutari medela curatur, diabolus nocendo iudicio divino addicitur; Adam per confessionem reparatur ad vitam, diabolus per malitiam praecipitatur in poenam. Quanto enim hominis miserabilis causa efficitur, tanto serpens dignus supplicio invenitur.

Cain namque quia parricidii facinus confiteri interrogante Deo noluit, divina sententia interiit; qui quidem forsitan salvaretur si admissum facinus fateretur. Aut enim ad hoc confiteri noluit quia salvari non meruit; aut si salvari meruit, quia confessus non est, salvari non potuit. Fuge contumaciae, Christiane, exempla et providorum imitare iudicia, declina opera malignorum et facta exhibe bonorum. Ita enim sunt exempla quae horreas, ut sunt alia quae secteris ut vivas: Abel cum a principio ante ullius exemplum prior dedicavit martyrium, qui quidem optaret in saeculo innocens vivere quam a fratre occisus in occidentis perniciem martyrium dedicare. **[p. 177]** Cain, cum nec innocentiam naturae servavit nec pietatis iura in fratris caede pertimuit, perpetrat scelus quod nec ipse sciebat admittere nec frater noverat praecavere. Gerit diabolus totum; volente eo qui fecit qui iam parentes fecerat peccatores; consentit et Cain hosti quando de parentum casu debuerit execrari, ut uterque reatus crimen incurreret, et diabolus quia parricidium suasit, et Cain qui consensum persuadenti diabolo commodavit. Solus autem Abel inter fratrem et diabolum, inter parricidam et hostem, inter suadentem et factorem purus atque innocens perseverat. Fit enim Abel sanctissimus sacerdos et victima, immolator et hostia, antistes et holocausta. Ut enim sancto Deo hostias immolabat, ita sancta hostia Deo ipse meruit immolari.

Sic Noe diluvio Deus eripuit, sic eum cum suis cataclysmo liberavit. Pro nefas! Centum annos area construitur et nullus admissa facinora confitetur; tamdiu vindicta differtur et nemo a peccatis arcetur; coelestis intentatur ultio et

nulla adhibetur satisfactio; Dei proximat ira et nulla agitur paenitentia; futurus interitus in area cernitur et malorum incrementum augetur; venturum Noe protestatur supplicium et Dei nemo implorat auxilium. Unde effectum est ut divina sententia aboleret quos terror emendare non potuit. Ninivitarum libet commoda recensere, qui similiter et ipsi perirent nisi dissimiliter iram Dei per paenitentiam deplacarent. Quorum quanta fuit maestitia, tanta fuit et venia et quanto se humiliter afflixerunt, tanto clementer liberari a Domino meruerunt. O profunda benignitas Dei! Triduo ira Domini flexa est, quae per series temporum fuerat provocata; fit velocior venia quam offensa; citius miseretur quam irascitur, instantius flectitur quam minatur. Celerem enim pietatem exhibuit, qui diu distulit quod avertit. A Deo vivunt confitendo qui peccando perierant; paenitentia salvantur quos facinora abduxerant. Afflictatio liberat quos avocaverat scelus, absolvit metus quos reos securitas fecerat.

[p. 178] Docent Ninivitae quid sit peccatoribus faciendum; periclitati ostendunt quemadmodum pericula declinentur; consecuti veniam, remedia veniae demonstrarunt. Discant similes, sequantur aequales, volentes evadere imitentur, ne quod providentibus fuit beneficium contumacibus fiat exitium. Nemo prospera providens aliquando contempsit, nemo nisi demens contraria appetivit. Utere antidoto quo peccatorum venena frustrantur et medicamentum adhibe quo pericula vulnerum recurentur. Remedium a Ninivitis inventum communi saluti proficiat: assiduo fletu delictorum flammam extingue, frequenti ieiunio peccatorum virus exclude; eleemosyna tergat quod facinoris venenum infecerat, paenitentia mundet quod diaboli persuasio sordidarat.

Quid erubescis fateri quod scis Deo teste committi? Tu maeres et Dominus gaudet, tu contristaris et Christus exultat; tali enim tristitia et diabolus vincitur et Dominus gratulatur. O hominum voluntas incauta! Erubescit in confessione mundari qui peccatis non erubuit inquinari! Aut enim non peccaremus si confiteri peccata confundimur; aut si peccamus, confiteri peccata non confundamur: non debemus et peccatores esse et confiteri non posse; quia qui peccata commisimus Domino confiteri debemus, ne si quid commisimus quod non confitemur, iudicis severitate plectamur. Ab imperatoribus mundi nemo indulgentiam sumit, nisi supplex scelus quod admisit edixerit. Nemo curari a medico poterit nisi innatum vulnus ante monstraverit; nullus a potente beneficium poterit impetrare nisi humiliter eum obsecrari contenderit; quia nec servus offensae veniam impetrabit nisi Dominum suppliciter exoraverit. Sic nec abdicatus filius poterit patri restitui, nisi se ostenderit qui dignus sit reparari.

Sermo Wiennensis 18

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius
(PLS 2, 1199)

[c. 1199] 1. *Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in saeculum misericordia eius.* Cum alias os nostrum divinis laudibus debeat esse dicatum, tum maxime in hac paschae sollemnitate, in qua ante disputationis ingressum, in hoc devoto conventu atque in vestrae congregationis sanctissimo coetu, congruit nobis Deo per Christum laudes et gratias frequentare. Haec est enim sollemnitas in qua credentibus indulgentia data est, reparata salus vitae, aeternitas restituta. Haec est, inquam, sollemnitas in qua revixit mundus, prostratus est diabolus, misertus est Deus, victa est mors, soluta sunt tartara, reserata sunt caelestia; in qua hostis prosternitur, inimicus calcatur, christianus

absolvitur, interempta redduntur, perdita reparantur, amissa redonantur, inferna respirant, terrena laudant, honorant caelestia. In hac itaque sollemnitate Adam morte exuitur, paradiso redditur, regnis caelestibus destinatur, gloriantur angeli, laetantur sancti, iusti exultant, gaudet mundus, triumphat ipse Dominus Christus, cui est cum Deo patre honor et gloria in saecula saeculorum.

Sermo Wiennensis 18B

In Paschae

(PLS 2, 1199-1201)

[c. 1199] 2. Spiritus sanctus in huius psalmi principio terrorem adimit, dum Dominum bonum ostendit: clementem enim demonstrat, dum mitem intentat; ad confessionem provocat dum severitatem bonitate commutat. Et tamen in consequentibus dicit: qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, qui interfecit gentes fortes, et percussit reges admirabiles. Magnam in isto psalmo diversitatem attendo, magnam ambiguitatem considero. Si bonus est Deus, cur interficit? Si interficit, quomodo bonus est? Duo enim ista diversa sibi contrarietate consistunt, bonitas et censura, severitas et clementia, misericordia et vindicta: dum invitat, et terret, dum vindicat, et persuadet, dum severus est, et indulget: qui enim bonus est, absolvit non vindicat, et qui vindicat, severitatem non bonitatem intentat. Sed manifestum est, utrumque Deo competere, et diversitatem istam pro meritorum varietatibus impertire. Consideremus ergo bono Deo severitatem procurare, et severitatem sprete bonitate exurgere. Bonitati enim severitas procurat, [c. 1200] et dum obiurgat, dum terret, dum vindicat. Cuius severitatis metu dum territi peccatores non tantum delictis finem imponunt, sed et paenitentiae lucra avida cupiditate corripiunt; sic bonitate Dei per indulgentiam liberantur. Bonitas enim contempta, severitate est vindicanda. Neque enim dignus est pietate, quem nec severitas terruit, nec paterna bonitas invitavit. Utraque enim, ut diximus, Deo iudici competunt. Bonitas est quae absolvit, severitas est quae addicit. Nisi enim censura sese exerceret, effectum bonitas non haberet. Facile enim in bonum confugit, qui terroris formidinem contremiscit. In tempestate portus petitur, pax in bello conquiritur, in aegritudine sanitas, in contrariis prosperitas, in sterilitate ubertas optatur. Tolle aegritudinis malum, et perdit sanitas praemium. Tolle certamen, et virtus non habet nomen. Nisi enim contraria operentur, prospera operari non possunt.

3. Igitur bonus est Deus, dum hominem, quem instituit, diligit; severus est, cum impravatum refrenare pietate non potuit; ut iam meriti qualitas ex homine ipso nascatur, contrahendo ex contemptu delicta, et spernendo confessionis remedia; ut inexcusabilis fiat qui monita contemnendo peccavit, et despiciendo remedia poenam sibi quam non timuit adquisivit; ut quem confitendo habere noluit bonum, constitueret sibi contemnendo iratum; et ipse qui Dominum bonum non sensit, severum sentiret, nisi ad bonum confitendo confugeret: quia et in hoc ipso bonus est, cum severus est. Invenitur enim consilio magis quam severitate terrere, qui bonitatem confitendo desiderat exercere. Dilatio etenim poenae, causa est veniae. Non amat vindicare, qui differendo desiderat ignoscere. Centum annorum spatium futurum diluvium Deus aliquando protraxit. Quadringentos annos Aegyptiorum populum distulit; et per multam annorum seriem Amorrhaeorum scelera toleravit; ut notum faceret omnibus, hominem ad suum festinare interitum; Dominum vero perituris

dilationis dare remedium. Qui per prophetam concionatur et dicit: *nolo mortem peccatoris, tantum convertatur et vivat* (Ez. 33,11).

4. Ama igitur, quisquis contemptor es, bonum; et sollicite time censorem: benignum dilige, severum metue, indulgentem ama, vindicantem observa. Invitet bonitas ad remedium, ne severitas rapiat ad supplicium. Utraque, dum tempus est, meditare. Hic enim aut remittit bonitas; aut severitas in iudicio flectit. Providendum tempus est in **[c. 1201]** futurum, ne in te divinum exerceatur iudicium. Aut serva mandata, et beatus existis; aut confitere peccata, et a reatu solveris. Praeterita gesta propter te commendata sunt; tibi tota antiquitas procurat; tibi quicquid aut misericordia indulsit, aut patientia distulit, aut consilium terruit, procuratum est. Tibi bonorum gloriae, et malorum poenae conscriptae sunt. Tibi providit qui cuncta conscribi praecepit. Providentiam Dei in tuam salutem adscisce: tibi negotium gessit, qui te de praeteritis informavit. Gravius enim peccat, qui post exempla degenerat. Nec enim merebitur veniam, qui iudicis non timuit declinare vindictam. Denique accipe de praeteritis duo exempla, quae aut petas aut timeas, aut optes aut fugias. Terrentur Ninivitae, et evadunt; contemnunt Sodomitae, et pereunt. His terror indulgentiam, illis contemptus interitum procuravit. Paenitentia Ninivitis bonum exhibet Deum, contumacia Sodomitis vindicem effecit Dominum. Unum utrorumque meritum discevit paenitentia et contemptus, confessio et reatus, afflictatio et despectus. Digne enim sentire debet iudicem, qui bonum contempsit auctorem, ut bonitatem sibi utilem perderet, qua paenitentiam contempsisset.

Sermo Wiennensis 19

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius
(Leroy, 179-181)

[p. 179] Deus nomen est dignitatis, Dominus nomen est potestatis; sed Dei nomen originem non habet, Domini habet. Etenim Deus nomen est ingeni ut Dominus sit accidentis vocabulum. Ita enim Deus semper est Deus, ut Deus non semper fuerit Dominus. Exinde enim Deus Domini nomen sibi adiunxit ex quo hominem cui imperaret formaret. Igitur cum constet hominem perfecto iam mundo formatum, cur Dominus priusquam hominem fecit Domini nomen non habuit, at ubi hominem fecit Domini sibi nomen assumpsit, cum posset ab origine mundi, id est ex quo coepit Deus istam machinam fabricari, nomen sibi addere Deo? Illa igitur causa est quia mundum Deus homini fecit non sibi, hominem vero sibi fecit non ob aliud nisi ut imperaret homo mundo ut Dominus, serviret Deo ut famulus. Etenim hominem Deus creaturae constituit Dominum dicens: *Crescite et multiplicamini et replete terram et dominamini eius* (Gen. 1,28); ita hominem sibi famulum fecit cui certa observanda mandavit ut observando esset pro meritis Dominus, contemnendo sibi crearet iudicium. Ut enim pater per filium, Dominus per servum, ita iudex creatur per reum. Adeo tolle filium et ubi est pater? Adime servum et Domini deficit nomen; sic iudex deesse poterit si reatus causa defuerit. Denique Dominus Deus de suo bonus est, de nostro iustus, de suo pius de nostro severus. Nisi enim homo peccasset, Dominum dispensatorem praemiorum, non delictorum iudicem habuisset. Denique David propheta sanctissimus cum peccatores confiteri persuadet, bonum illis Deum ostendit dicens: *Confitemini Domino quoniam bonus est* (Ps. 105,1). Bonum, inquam, Deum ostendit non iustum ut iudicem, non censorium

ut terrentem sed placatum, benignum et mitem, qui possit benignitate ignoscere non severitate punire, qui pietate flectatur non qui iracundia moveatur, qui dementia parcat non qui censura defendat. Bonitas enim indulget, severitas plectit; pietas tribuet veniam, inferet censura vindictam; misericordia persuadet paenitentiam quia iustitia festinat ad poenam.

Denique apud rectores mundi et iudices saeculi quisquis reus suam indicat culpam, delictum reserit, peccatum fatetur, sententia digna addicitur et competenti supplicio defirmatur. Illic enim molestum est confiteri ubi confessione veniam non licet relaxari, ubi executor legum contemptam legem defendit, ubi qui lege iudicat legibus servit; non potest autem reo ignoscere, qui contemptam legem iussus est vindicare.

Apud Deum vero iudicem, legum Dominum et totius iuris auctorem, **[p. 180]** confessio dat indulgentiam quia reticentia incidet poenam. Iudicantium enim personae diversos habent iudiciorum effectus; homo enim dum iudicat leges exsequitur, Deus ipsis legibus dominatur; homo, inquam, secundum leges iudicat, Deus imperat; homo legum tenorem custodit, Deus ipsas leges cum voverit flectit; homo commissum facinus respicit, paenitentiam Deus libenter admittit; homo dum iudicat timet flecti ne peccet, Deus confiteri persuadet ut delicta condonet; homo non potest peccatorem absolvere, Deus confitenti veniam desiderat impertire. Apud homines, quod negatur tormentis elicitur, apud Deum quod negatur supplicio destinatur; apud Deum negare peccatum poena est, confiteri venia.

O mira et abrupta peccatoris dementia! Si homini commissa facinora celas nec admissi testis est nec conscientiae iudex; Deo vero quid celas, peccator, qui cum cogitares affuit et cum committeres vidit? Ipse est enim testis qui iudex, ipse est, inquam, testis facti qui est iudex admissi. Frustra celas quod novit, frustra occultas quod coram ipse ac praesens aspexit. Poteris enim confitendo mereri veniam qui delinquendo meruisti vindictam. Exinde enim iudex Deus ex quo homo factus est; reos exinde iudicare Dominus coepit ex quo homo reatum incurrit, exinde accepit sententiam mortis ex quo legem transgressus est dominantis. Factus est enim ex delicto servus, ex culpa famulus, ex reatu captivus. Factus est, inquam, ex delicto servus qui institutione fuerat filius, perdidit libertatem naturae dum ex culpa sententiam meruit poenae. Sed benignissimus Deus confessionem ostendit, paenitentiam monstrat, satisfactionem procurat, dum interrogat: *Ubi es*, inquit, *Adam* (Gen. 3,9)? Cogit hominem confiteri admissum dum desiderat ei donare peccatum. Confessio enim paenitentiam sapit, indulgentiam parit, indulgentia peccatorem absolvit. Peccator enim iudicem fecit, iudex sententiam dixit, sententiam abolevit paenitentia. Etenim paenitentia salutis portus, reparatio vitae, spes veniae, indulgentiae ianua, reformatio spei, abolitio peccati est. Haec delicta diluit, tollit culpam, iram levat, condemnatorem flectit ipsumque iudicem ad pietatem perducit. Haec est, inquam, paenitentia quae furenti extorquet gladium, irascenti sententiam, iudicanti vindictam; <misericordiam> acquirit, coelum aperit, ad paradisum ducit. Paenitentiam enim pietas divina non invenit. Natura enim docet non delinquere, pietas docet delictis veniam per paenitentiam impertire.

O venerabilis bonitas Dei! Offenditur et remedia porrigit ut flectatur; despicitur, consilia invenit ut propitiatur. Vult enim ex paenitentia tribuere veniam qui ex culpa disponebat vindictam; offenditur et benignus est, contemnitur et pius, despicitur et salutaris; si peccamus, et tabs est qualis erga nos fuisset si non peccassemus. O, inquam, venerabilis bonitas Dei! Contemnimus monita et offendimus, ad paenitentiam currimus et salvamur, id

est Dominus [p. 181] nostram offensam suo consilio flectit, contemptus nostros remedio paenitentiae diluit, contumeliis delictorum antidoto confessionis ignoscit. Ab ipso docemur non delinquere, ad ipso suademur delictis veniam postulare; consulit ne peccemus, consulit ut peccatis veniam impetremus; non vult hominem perire quem fecit, non vult eum delinquendo offendere, non vult illum offendendo perire. Est enim amator operis sui; hominem enim in vitam non in mortem constituit, in gloriam non in ignominiam fecit, in salutem non in interitum destinavit.

Denique factus homo lege formatus est ne forsitan ignorando peccaret: instruitur in gubernaculis legis ut homo innocens regeretur, instruitur ne aut delictorum tempestatibus aut peccatorum turbinibus aut culparum procellis aut facinorum fluctibus mergeretur. Totum providit Deus sed homo cuncta contempsit incautus. Amavit enim mortem quae non erat, contempsit vitam quae fuerat; potuit enim observando vivere qui contemnendo maluit interire. Pro nefas! contemnitur genitor, auditur seductor; acceptatur aemulus, despicitur Dominus; iubet Deus et contemnitur, persuadet diabolus et auditur. Stat homo inter Deum et hostem, inter genitorem et serpentem, inter Deum et mortis auctorem. Deus praecipit ut observetur, persuadet diabolus ut contemnatur; Deus legem proposuit in salutem, serpens eam contempni suasit in mortem; Deus contemptori mortem minatur, diabolus praevaricatori falsam deitatem mentitur.

Accipe ad hoc praeteritorum exempla gestorum et imitare confitentem ut vivas et fuge negantem ne pereas: Adam confitetur et absolvitur, Cain negat parricidium et punitur; Adae confessio proficit in salutem, Cain negatio operata est mortem; alter confitendo accipit veniam, alter negando invenit poenam. Sanguis fratris vociferatur ad Deum et sceleratus fecisse se denegat parricidium; sanguis fusus testis est facti et Cain exstitit negator admissi; qui perpetravit parricidium negat et sanguis qui effusus est clamat. Rape tu quisquis es, confessionis felicitatem, qui legem observare volueras in salutem; rape remedia quae offensus providet Deus ut tibi indulgentiam contemptus tribuat Christus; rape occasionem benivoli iudicis qui patrem se exhibet peccatoris. Dum curare desiderat medicus, abstrusum vulnus ostende; dum offensis cogitat misereri, qui offendit non desinat confiteri; et dum iudex placari quaerit, reus cogitando non desit. Peccator enim aut confitendo absolvitur aut contemnendo punitur.

Sermo Wiennensis 20

Felix qui intelligit super egenum et pauperem. In die mali liberabit eum de inimicis Deus
(Leroy, 182-183)

[p. 182] 1. Spiritus Dei dum in pauperes intentos laudat, steriles ac segnes incusat; dum enim misericors honoratur, necesse est inmisericors stimuletur. Inde sic fit ut et intends intensior gloria laudis reddatur et remissus ac segnis dum alienis laudibus excitatur, dignus etiam ipse laude ducatur, aut in segnitia permanens sterilitatis poena plectatur: *Felix qui intelligit super egenum et pauperem* (Ps. 40,2). Felix, inquit, si a te egentem postulare non siveris aut si pauperem minime te rogare permiseris aut si necessitatem huiuscemodi tacito corde et sollicito affectu persenseris. Ceterum si petenti tantummodo dederis, aut si rogantis fletibus commoveris, iam commercium quoddam est inter

petentem et dantem, inter flentem et tribuentem ut quasi petitione mereatur quod facis aut fletus extorqueant quod operaris, si preces expectas pauperis et fletus sustines indigentis ut misericordiam impleas quam iuberis.

2. Non enim egens precibus debet mercari quod non habet, aut pauper petendo negotiari quod indiget, aut fletibus ipse debes distrahere quod ultro debeas non hominibus impertire. Sed magis, inquit, esto cautus, esto sollicitus et esurientem cum intellexeris <nutrias, nudum cum aspexeris> contegas, indigentem cum attenderis omnia desiderata impertias. *Est enim intelligere super egentem et pauperem* esurientis preces praevenire cibo, nudi fletus statuere indumento, desiderantis gemitus anteire subsidio. Hoc enim inter nos et extraneos esse Christus Dominus voluit, hanc differentiam inter alienos et suos esse salvator ipse praecepit ut tu intelligas, ille rogetur, tu visu cum ille precibus movetur, tu ad miserandum festines, ille fletu et gemitu se misericordem ostendet. Aliud est enim natura flecti, aliud precibus invitari; aliud moveri affectu, aliud provocari fletu aut gemitu, aliud sollicite hominis miseras sublevare, aliud egentis preces ut miserearis exigere.

3. Nam si tibi, homo, hac conditione nasci contingeret, si tibi egestatis et inopiae sors miseranda adesset, nonne forte erubesceres petere, postulare non posses, tu doloris fletus siccis oculis retineres? Quis tibi tacenti donaret, quis te silentem attenderet, quis nec roganti nec flenti nunc quippiam impertiret? Si omnes ex te preces et fletus exigent quos de aliis tu ipse quaeris exigere, optares forsitan egestatis inopia mori quam aliquem ex praesentibus deprecari. **[p. 183]** Quare, in egente te ipsum quisquis es computa, in paupere necessaria naturae te desiderare considera. Esto circa pauperem talis qualem circa te pauper divitem esse volueris. Noli iactare quod fads, noli preces exigere indigentis ut possis praemia accipere promittentis. Compensat enim quod facit qui quod fecerit ventilaverit; perdet praemium qui misericordiae non occultat officium; non potest se Deo ostendere misericordem, qui per humanam laudem voluerit compensare mercedem.

Sermo Wiennensis 20B

Dum facis, inquit Dominus, misericordiam
(Leroy, 183-185)

[p. 183] 1. *Dum facis, inquit Dominus, misericordiam, noli tubicinare ante te sicut hypocritae faciunt. Amen dico vobis, consecuti sunt mercedem suam. Vos autem cum facitis eleemosynam, nesciat sinistra quid facial dextera et pater vester qui videt in abscondito reddet vobis in aperto* (Mt. 6,2-4). Qui fieri eleemosynam iussit, faciendi legem imposuit et quomodo vel qualiter faceremus ostendit. Si servis, pare; si obtemperas, comple; si obsequeris, perfice. Compensat enim quod facit qui aliter fecerit quam Deus imperavit; suam perficit voluntatem qui iubentis excesserit legem. Aliter enim facere quam iubetur non est iussa complere sed et suam voluntatem perficere.

Te nunc, Christiane, convenio, tua obsequia quae promittis exquiro. Propter Deum eleemosynam facis? Cur non occultas quod facis? Incipies videri non propter Deum, sed propter homines operari; quod magis igitur propterea facis quia iuberis, eo ordine debes facere quod iuberis, ne quod faciendo obtemperas, ventilando disperdas. Nam unde Dominus iactantes suos hypocritas reprehendit, inde suos christianos instruxit. Hypocritae enim tubicinantes amittunt quod faciunt, christiani occultantes commendant Domino

quod dederunt; hypocritae misericordiam iactant et perdunt, christiani abscondendo acquirunt; hypocritae laudem hominum aucupantes, misericordiam quam fecerant compensarunt, christiani in lucra futura transmittunt quicquid Domino teste fecerant, ut iam sit eorum ventilare quorum sit mercedem amittere, eorum sit vota occultare quorum est praemium a Domino Christo percipere.

2. Instructus es Christiane, instructus es quomodo opereris. Ceterum quia operari debes, tu te ipse cognoscis. Docet enim Dominus monitis, docet exemplis; monitis quibus infructuosas arbores ignibus destinavit, fructuosas nota regnis coelestibus honoravit; exemplis quibus quae aut qualia contingerint leges divinae testantur et eis futura promissa leguntur, ut cum Tobias misericors angelo praesente laudatur, ut Elias vidua famis tempore visitatur.

[p. 184] Erubescant divitum facilitates, locupletum opulentiae confundantur. Vidua in evangelio praesente Domino in dona Dei totum quod habuit misit, quia de modico servare modicum noluit. Pugnat iam tunc in animo viduae cum devotione necessitas, cum penuria fides, cum inopia lex; cum indigentia amor Domini dimicabat: devotio persuadebat offerre sed cogebat necessitas reservare; fides dare compellit sed inopia offerre modicum erubescit; lex operari persuadet sed inopiam necessitas victus offendit; amor Domini totum cogit offerre sed indigentia partem retinere. Sed vicit tandem in animo viduae necessitatem devotio, penuriam fides, lex inopiam; amor Domini indigentiam superavit. Si operantibus, inquit, cunctis sola destitero, infructuosum, molestum ac malum est si partem dederò, partem servavero, exiguum est; si totum quod habeo misero, etsi parum est, tamen quia solum hoc habeo, perfectum est. Dem totum illi qui dedit, nec credam deesse posse cum dederò; quia etsi defuerit, eius est providere cuius est hoc ipsum quod desidero commodare.

3. Cornelius [et] centurio in Actis Apostolorum ante fidem fidelis, ante legis notitiam doctus, antequam didicerat eruditus, tria sibi observanda elegit, quibus Dominum Christum ante promeruit quam agnovit: misericordiam qua sibi misericordem Deum effecit, ieiunium quo purificatus apparuit, orationem qua Dominum deplacavit. Quorum officiorum effectus tam optanter exercuit ut loquente angelo impetrasse optata et se Deo placuisse addisceret. Et factum est, inquit, cum *hora nona* ieiunus oraret Cornelius, astitit eum angelus Dei et dixit: *Corneli, exaudita sunt orationes tuae et eleemosynae tuae commemorantur apud Deum* (Act. 10,3-5). Mitte igitur loppem et voca Simonem qui cognominatur Petrus; is tibi loquetur verba quibus salvus eris tu et domus tua tota.

O gloriosum Corneli meritum sanctis officiis comparatum! Solus meretur et multi salvantur, pluribus profuit quod Cornelius devote complevit; ipse enim operatur et universa familia liberatur ut salvati cuncti eadem operari addiscerent quae illis per Corneliū saluti fuissent. Nam si per haec bona etiam in proximos veniunt beneficia, quantum conferant ipsis quae prodesse sic noscuntur propinquis?

4. Quid ad haec dicemus, fratres carissimi, qui minores Cornelio sumus? Si Cornelius necdum didicerat ista et fecit, quid agit ille qui discit et non facit? Aut quales esse apud Deum possumus, qui indoctis impares sumus, nisi quod ille operando Dei efficitur proprius, haec non operando efficitur alienus. Gravaris in isto, dives, gravaris et onere ipsius patrimonii opprimeris. Accipe vel nunc a Cornelio exemplum, qui Dominum contemnis; imperium disce iam facere, quod ille qui non didicit fecit; disce, inquam, ab illo quem [p. 185] docere debueras

operari <quae> ipse non nosset; ille ad fidem per haec officia venit, tu in domo fidei constitutes, dum ista non facis, infidelem te esse ostendis. Quare, misericordia commissa facinora redimantur, eleemosynis divina praemia acquirantur; agrum Domini misericordiae semine comple ut semen quod ieceris in fecunditatem proficiat messis. Non taediet ad semen qui festinat ad messem; non enim potest de messe gaudere, qui suo tempore noluerit seminare; quod navi impones, hoc in portu recipies; sine viatico non debes proficisci ne aliis prandentibus ipse ieiunes; fenerare de Deo Deum, de Christo operare in Christum; quod tibi dederit, feneratum restituas.

Sermo Wiennensis 21

De David ubi Goliath immanem hostem devicit

(PLS 4, 687-690)

[c. 687] Dominus Deus cum David regem populo destinasset, cumque primo singulos homines ac diversos attingeret, examinaret cunctos, plurimosque pervideret, e quorum numero eligeret regem, rectorem proponeret, ducem populo praefecisset, invenit David cuius meritum transiri non potuit, cui et testimonium reddidit dicens: *Inveni mihi David virum secundum cor meum, qui faciet omnem voluntatem meam* (1 Reg. 13,14). O beatum David, sanctissimi meritum quod laudat Deus, praedicat Dominus, iudex praefert summus. Dum enim David sanctissimus homo *secundum cor* Dei quicquid Deus cogitat, gerit: quicquid mente concipit, perficit: Dum enim, inquam, David cordi Dei cor proprium iungit, et menti eius mentem suam adnectit: hoc est, utque vult Deus, velit; et quae non vult, similiter nolit: Si eum Dominus individuo amore et coniuncta charitate dilexit. Denique Deus David elegit obsequentem, et Saulem reprobavit contemptorem. David qui notus populo non erat promovetur, et Saul qui regnaverat spernitur. Hic ab ovibus ad regnum deligitur, ille a regno ad gladium destinatur. Hunc sancta vita promovit, illum mandatorum despectio reprobavit. David adhuc pastor debellat leonem, interficit ursum, Saul contemnendo Dominum, malum in se provocat spiritum. Regnat David sanctissimus, sed latenter: Saul reprobus efficitur evidenter. Hic iam rex est, ille putatur: hic iam obtinet, ille tantummodo dicitur: hic occultam possidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem. Adeo David sancto spiritu inundatur, Saul vero spiritu isto deseritur. Denique Saul David persequitur innocentem, [c. 688] David vero traditum, sibi illaesum exhibet peccatorem; ut et in David spiritus sanctus mitesceret, et in Saule malus spiritus in innocentem saeviret: ut vitae diversitas diversa iam merita demonstraret, et causae istae hominibus deputarentur, non Deo: qui male vel bone gerentibus regnum aut tollerent, aut conferrent. Interea ab Allophylis Saul provocatur ad bellum, disponitur acies, praeparatur exercitus, pugna dirigitur. At contra hostes haud aliter praeparantur, ardescunt ira, tollunt insania, furore fervescunt, pendet in invicem uterque exercitus, expectat signum, sustinet iussum: et cum nondum aut lituorum sonitus, aut tubarum clangor, aut strepitus armorum colliderent, prosiluit in medium de Allophylorum castris vir corpore immani vastissimus, horrendus statu, mirabilis visu, cristato vertice galeatus, coruscus armis, fulgens gladio, umbone tectus, lorica vestitus, nomine Goliath. Quis stupentibus cunctis, vos, vos, inquit, exercitus Saulis admoneo, vobis mea verba depromo. Nolite, inquit, nolite pugnare nobiscum, ut pugnetur in bello: nolite contra nos solita exercere bellorum, nemo contra alterum pugnet, nullus communis hostem solito

more debellet, *eligite* si potestis *unum ex vobis* (1 Reg. 17,8), qui mecum fortiter pugnet. Eligite unum qui contra me si poterit dimicet, cuius virtus virtutem totius monstret exercitus, cuius potentia potentes exhibeat cunctos, cuius victoria aut nos vobis servos efficiat, aut si fuerit victus vos nobis in servitutem subiciat. His dictis Saul rex populusque terretur, formidant cuncti, trepidant omnes, universos invadit metus, formido occupat, possidet tremor. Non in forti virtus, non in audace animus, non salus in bellatore consistit. Fuit enim Goliath metuendus visu, metuendus armis, metuendus et verbis: et trementibus cunctis, solus David consistit intrepidus. Non eum immanitas hostis exterruit, non armorum enormitas fregit, aut superbia verborum imminuit, sed fortiolem cunctis virtus divina constituit. Noli, inquit, ad Saulem, noli rex Domine formidare, noli eius immania verba aut armaturae potentiam pertimescere. Iste enim quod minatur leve est quod loquitur, facile, quod ostendit mortale. Ego contra illum exeam, ego pugnam contra eum instituam, et iactantiam eius, et superbiam vocis insaniam Deo mitigante consternam. Nam cum pascerem gregem in campo, ovem mihi a leone et ursu arreptam, is belvis interemptis praedam excussi, ovem eripui, nocentes bestias interfeci. **[c. 689]** Hoc exemplo etiam istam immanem belvam provocem bello, pugna congrediar, Dei populum de eius manu eripiam, et ipsum ut nocentissimam belvam Dei virtute percutiam. Non poteris, inquit Saul, non poteris pugnare cum eo. Tu enim puer es, ille bellator: tu insuetus es, ille peritus: tu pastor es ovium, ille rex et imperator est populorum. Pugna ista, inquit David, quam loqueris Dei est: bellum quod geritur, caeleste atque divinum. Nihil isthic humanum invenies, nihil quod hominis virtus conficiat, aut potentia bellatoris exercent. Adest Dominus, adest, inquam, qui me in praelium cogit procedere. Adest qui me bellum desiderat gerere, et hostem immanissimum iugulare. Induitur Saulis armis David sanctissimus puer, ut quasi potentibus armis rex potentissimus vinceretur. Sed tam ista arma ut puer gestare non potuit, quam Goliath his armis non meruit interire. Denique istis armis abiectis, nova et inopinati generis David arma conquirunt, quinque lapides eligit, fundam sumit, situlam pastorem corripuit, contra Goliath debellandum exivit. Quem Goliath cum contra venientem aspiceret, irrisit aetatem, irrisit arma, irrisit et puerum. Irrisit, inquam, aetatem, sed non intellexit in David esse Dei virtutem: irrisit et puerum, nec tamen scivit dimicare in puero Dominum: lapides et fundam irrisit, sed uno se lapide moriturum nescivit. *Quasi ad canem*, inquit Goliath, existi cum lapidibus et *virga* (1 Reg. 17,43). Tu, inquit David, si canis fuisses, numquam in hac pugna dimicare auderes, numquam constanter in hoc praelium processisses, numquam dimicandum contra te Dominum provocasses: sed ut canis bellum fugeres, praelium declines, interitum tibi futurum, et dignum supplicium metuisses. Peior es autem cane, qui nec virgam metuis, nec lapidem quo moriturus es, extimescis. Et maledixit alienigena David in diis suis, et dixit: *Veni*, inquit, *veni ad me et faciam te volucrum cibum et pabulum bestiarum* (1 Reg. 17,44). Et David dixit ad Deum: *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo*. Tu terrenis dimicas, ego caelestibus pugno. Tu in lancea, ego in fide. Tu in clipeo, ego in prece. Tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exeretur. Dei est enim haec pugna, Dei erit et ipsa victoria. Interea in utrumque ducem uterque pendet exercitus, stupet metu, formidine tremit, vicinitatem mortis horrescit. Procedunt ad invicem contra semet idem pugnaturi duces, et excitati in sese **[c. 690]** iam quaerunt dilatatum bellum conficere, iam desiderant alternam victoriam perpetrare. Sed David propere lapidem de situla rapit, fundae apponit, et contorto vertice in Goliath

excussit. Qui lapis per inane volans verberat aures, aerem scindit, et violento impetu Goliae frontem invadit. Qui nutabundus, ac tremens totam molem corporis cum armorum potentia secum ipse deiecit. Dehinc David festinans accurrit, hostis gladium sumit, caput eius abscidit, et de tam immani belva hactenus victoriam perpetravit. Quem cum extinctum socii vidissent, in fugam versi, et Israelitarum sunt caede mactati. Revertentis populi laudes et glorias David sanctus excepit dicentis: Percussit Saul in milibus suis, et David in denis milibus suis. Quibus ego te laudibus, quibuscumque gloriis praeferam sancte ac religiose puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito praevenisti: qui potuisti desistentibus cunctis immanem belvam vincere, hostem prosternere, inimicum populi detruncare. Tu enim deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito extitisti. In desistentibus fortibus, fortiter in praelium prosiliisti. Tu formidanti populo et Goliae saevitiam molienti dum fortissime geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti. Tu hac pugna monstrasti, nec pueros esse posse imbelles, nec a gloria maiores immunes, nec senes unquam esse degeneres, quoniam in omnibus aetatibus victor si pugnaverit Deus, victus iacebit et deficiens inimicus. Ideoque pro his omnibus gratias agamus Domino per Christum Dominum nostrum, cui est gloria et potestas cum spiritu sancto, per immortalia secula seculorum, Amen.

Sermo Wiennensis 22

De Absalon, ubi David patrem prosequitur et de proelio fugiens obligato gutture arboris ramo se penditur
(PLS 4, 690-693)

[c. 690] Perdidit Absalon scelestissimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium insectatus patrem, fugat innocentem, insequitur genitorem, usurpat imperium, potestatem arripit, regnum invadit: non ut cum patre societatem regni iniret, sed ut totum regnum patris sanguine possideret. Perdidit, inquam, Absalon [c. 691] consilium, dum parricidio cupit mercari imperium: amisit sensum, dum per exitium patris consequi desiderat regnum. Festinat, properat, quaerit innocentem opprimere reus, patre superstite moriturus. At contra David humilis ac mitis cedit domo, persequentem fugit, declinat hostem. Reliquit affectus, ne aut parricidae interitus ei luctum afferret, aut peremptio eius reum filium exhiberet. Vult furorem filii fugiendo compescere: desiderat declinando, parricidae saevitiam temperare, sed crudelitas mente concepta iam sedari non potuit, quam immanis saevitia ad perficiendum facinus provocavit. O innocentia, quantum apud reos, periculi suscipis quantum malitiae, per flagitiosos incurris? David sanctissimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit: tot populorum rabiem, quia non laesit, incurrit. Absalon unus est reus, et universus contra patrem conspirat exercitus. Armantur in caedem funestae multorum manus, provocantur in innocentem ulcisci facinus alienum. Unius parricidae furor tot milia insanire compellit, unius dementia dementes efficit multos. Offendit enim David filium, quia fratris in eum voluit ulcisci parricidium. Semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt, et in augmenta facinorum prosilitur, quoties secunda impunitate peccatur. Dum enim in Absalon fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur. Vos, vos inquam, exercitus infoelices admoneo, vos affectum pietatis exhortor. Cur in alienum facinus ruitis? Cur furentis insaniam adiuvatis? Cur parricidae similes ac dementes existitis? Deserite, quaeso: deserite reum, deserite novo

supplicio moriturum. Forsitan enim si deseritis, cessabit: qui, ut auderet, vester numerus provocavit. Certe solus pereat, qui naturae iura debellat. Solus concidat, qui pietatem patris impugnatur. Aut enim cessabit, dum paenitet, aut perseverabit et periet. Ego doleo reum, doleo impium, doleo novo supplicio moriturum. Quis te in hoc facinus prosilire, parricida deterrime docuit? Quis te furor audere tam immane facinus provocavit? Si offendit, pater est: si laesit, genitor. Quinimmo nec offendit, nec laesit. Vincat furorem pietas, affectus insaniam superet: crudelitatem natura debellet. Aut nunquid te pater, quia non laesit, offendit: aut idcirco te offendit, quia non laesit? Qui forsitan non offenderet, si laesisset. Sed de affectu exhibe pietatem. Tibi parcis, dum a patre manus avertis: quem defendere deberes, si quod audes, alterum audere cognovisses. Ubi iam solatium patres, ubi praesidium genitores invenient, si filios senserint parricidas? Aut quando externa tuta sunt, si domestica nobis obsistunt? [c. 692] Bestiae et mutae pecudes pietatis iura conservant: et quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Innocentem perimere, nefas est: patrem occidere, scelus: prophetam iugulare, facinus inauditum, et ante hoc tempus mortalibus cunctis ignotum. Cessa iam ab isto scelere: cessa, cessa, inquam, ne te boni omnes semper exhorreant: ne audaces ex te, quod non noverant, discant. Cessa, inquam, ne qui post te tantum facinus perpetravit, te utatur authore. Cur mundo novum facinus tradis? Cur doces, quod natura non novit? Cur cupis, quod pietas ipsa horrescit? Cur audes perficere, quod novo supplicio cogatur Deus vindicare? Interea parricidae furor non minuitur, non frenatur. Ardescit in peius, in maius accenditur. Cupit facinus conceptum festinanter implere, desiderat scelus dispositum instantissime perpetrare. Properanti ad nefas, tarda sunt cuncta: festinanti ad facinus, videntur remorari disposita. Cupit parricidium ante complere, quam gerat: festinat patrem ante intercipere, quam occidat. Sitit sanguinem patris, cruorem appetit genitoris. Timet differre vel modicum: ne aut ira remorata deficiat, aut furia dilata languescat. Disponitur propere bellum, acies dirigitur, pugna paratur: cognatae classes in semet ardescunt. Inde parricida exercitum contra patrem inflamat: hinc David, ut parcant filio, abeuntes duces exorat. Parcite, inquit, filio meo Absalon. Inde dementia, contra genitorem exurgit: hinc clementia, ut parricidae parcatur, exoscit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde insania, hinc misericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non laesus insanit, David laeditur et mitescit. Debellatur ab impietate pietas, nec movetur: pietas patris nec gladio vincitur, nec terrore mutatur. Parricida nec ratione frangitur, nec imminente interitu deterretur. Obduratur in poenam, in supplicium cogitur, nec salutem in aliquo iam meretur, qui patrem salute spoliare connititur. Respice iam scelestissime hostis ac nephande, iam respice parricida: respice, inquam, usquequaque in te cuncta converti: respice contra te ab ipsa natura repugnari. Et quamvis contra te dimicet coelum, moveatur terra, exercitus pugnet: tamen aliud te ignotum et inopinatum sustinet bellum, aliud tibi iam paratum praelium est, quod fugientem excipiat, properantem interimat, festinantem occidat. Non enim isti exercitus, quos cernis, quos conspicias aut tuus furor contra patrem armavit, aut patris contra te [c. 693] necessitas provocavit: qui quamvis digne contra te exerant gladios, vibrent enses, lanceas torqueant, ut dolor laesi patris tuo interitu diluatur: tamen te fugientem arbor excipiet, rami interimant, ligna suspendent. Adest, inquam, arbor in campo ramorum telis ornata, quae te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidam defendat. Adest, inquam, arbor, quae nec patrem, ut tibi parcatur, audivit, et iussa Dei instanter implere contendit. Nec poteris hoc

bellum impunitus evadere, qui genitori necem conatus es irrogare. Igitur commisso bello, prosternuntur hostes, adversarii cadunt, inimici vincuntur, nudatur hostis, deseritur parricida: iam suam in suis conspicit poenam: iam supplicium debitum sibi, suorum interitu recognoscit. Iam timet, iam formidat, iam proprium meditatur interitum. Denique animal petit, mulum conscendit: dat se in fugam praecipitem. Paratam propere festinat ad arborem, cui est traditus, et ictu violento immissus, animali subducto et subter in campos elapso, inseritur ramis: obligatur lignis, transfixo gutture colligatus. Pendens iam mortuus, ab hominibus invenitur, quem iam nec coelum potuit conspiciere vivum, nec terra ulterius sustinere. O nefandum meritum parricidae! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus defendit: sed vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami defendunt. Nec est ulla creatura, quae mota non fuerit, cum ipsum Dominum senserit moveri authorem. Igitur redeunt cuncti de bello, parricida authore belli prostrato, cuius sanguine scelus diluitur, cuius supplicio immanis crudelitas sepelitur. Gaudent omnes, cuncti laetantur: solus David plangit filium, parricidae lamentatur interitum. Quid plangis gloriose pater, quid lamentaris, quasi Absalon, quod ausus est, comprobaris? Quid fles scelestum, quasi eum parricidium perpetrare volueris? Frangis gloriam victoris exercitus, si fletur hostis interitus, nec laetitia esse poterit in victoria, si parricidae plangitur poena. Ille tuus non fuit filius, qui sic violavit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui ius patris sanctissimi violavit. Te non contempserunt exercitus non duces, quibus parci scelesto mandasti. Sed illa arbor, illa te primum ulta est: illa defendit, illa laesi patris iniuriam, qui te non audierat, vindicavit. Defensio tua securitatem patribus attulit, et parricidarum audaciam revocavit. Per te, et iniuria naturae defensa est, et patrum pietas revocata. Novo enim supplicio debuit interire, qui seculo novum scelus, per patris exitum, voluit inferre.

Sermo Wiennensis 23

De Elia. Vivit Dominus si erit his omnibus ros atque pluvia
(PLS 4, 694-696)

[c. 694] Cum gesta peccata recensemus, et virtutes Domini avida cupiditate tractamus: et officiorum studiis accendimur, et in obsequia debita excitamur. Neque enim alia de causa, ista conscripta sunt nobis quam ut provocemur, dum legimus: dum loquimur, excitemur. Hoc enim modo et virtutum laudes, et gestorum Domini glorias immolamus: dum nos ipsos gratiarum actionibus compotes esse cognoscimus. Dignum enim sese gestorum laudibus deputat semper, qui gesta laudibus digna silentio se non patitur praeterire ut dum ista assidue frequentamus, mentem nostram in amorem Domini provocemus. Et locutus est, inquit, Elias ad populum, dicens: *Vivit Dominus, si erit his annis ros aut pluvia nisi per verbum oris mei* (3 Reg. 17,1). Cumque Elias propheta sanctissimus populum praevaricatum aspiceret: cumque Baal et lucos, despecto Domino, coli a sacrilegis pervideret cumque creatore despecto, figmentis sese, nemoribusque omnis populus addixisset: zelo Dei commotus, Iudaeam terram siccitatis sententia et pluviarum sterilitate addixit. Tunc subito anhelat terra, siccatur coelum, sitiunt amnes, fontes arescunt. Omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, tranquillitas poena est. Aestuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta aegrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi ieunant, squallet terra,

herbas, quas produxit, interimit: iram Dei universa creatura testatur. Molesta est fames, ubi quod esurit necessitas, deesse invenit. Tandem poena, quod torqueat: et culpa meruit competens aliquando supplicium. Sera ultio foeneratam meruit poenam: et diu dilatum est, quod quandoque digne ac merito interveniret. Proh nefas, nulla ex poena correctio, et quasi adversis, hominum malitia provocetur: sic crescit quotidie, quod puniatur. Amant poenam, supplicium diligunt: nolunt recordari, ut vivant: nolunt corrigi, ut evadant, et quasi frugem mentis sterilitas arefecerit siccitatis, sic arescente terra aruerant et hominum corda. Interea solus Elias altior mundo, proximus coelo, montis habitaculo et Dei colloquio fruebatur, ne illorum poenam perspiceret, [c. 695] quorum scelera videre non posset. *Tunc Dominus ad eum loquitur dicens: Exurge, inquit, et vade in Sarepta Sidoniae. Ecce praecepi ibi mulieri viduae, ut te pascat* (3 Reg.17,8-9). Ad quam, cum Elias venisset ignotus ad ignotam, ad inopem indigens, ad religiosam devotus: victum petit, pabulum quaerit, modicum panis exposcit. Nec cunctatur vidua, quod habebat, offerre: ut sufficientiam possit, quam non habebat, accipere. Neque enim vidua victu potuit indigere, quae nefariis in scelere numquam potuit consentire. Aut in eam famis potuit dominari sententia, quam iniquorum provocaverat causa, ut diversa merita fames discerneret, et iustitia in necessitatibus non egeret. Numquam enim diversa merita una astringit sententia: nec iusti potuerunt cum iniusto coniungi, quos constat vitae diversitatibus separari. Quia nec potest par exerceri iudicium, ubi dispar esse constitit meritum. Horrea enim divitum finiuntur, apothecae scelestorum deficiunt, et capsae iustorum non minuuntur. Opulentos fames occidit, et viduae filios Dominus par Eliam pascit. Fidelia farris, quod erogat, accipit: quod commodat, sumit: quod tribuit, Domino reddente acquirit. Nec enim aliquo pacto potuit finiri, quod Dominus iusserat per famis tempora dispensari. Interea perseverat in populum fames, malis perseverantibus populi. Crescit malitia populorum, crescit et inopia rerum. Saevit cunctorum impietas, saevit et in cunctos necessitas. Universi deficiunt victu, et ab idolorum non deficiunt cultu. Et quasi diversitas ista invicem concertaret, sic sese ista superari contendunt, ut putarent dementes sceleribus famem vincere, facinoribus necessitatem avertere, peccatis inopiam superare. Sed postquam Dominus populum quassatum vidit, miseratus, iubet Eliam de monte descendere: iubet eum universum populum congregare, ut sacrificio perfecto, pluvias venire faceret, quas scelerato populo antea denegasset: afferendisque pluviis Elias author existeret, ut qui et commoti Dei iram ostenderat, idem et placati benevolentiam demonstraret. Denique stabat Elias medius inter Deum et populum. Stabat, inquam, inter sacrilegos sanctus, inter peccatores iustus, inter prophanos devotus, advocacy populis cunctis praestaturus, obiurgat populum, exorat Deum, iram Domini avertit et errantem populum a Dei cultura, ad Dei latriam revocavit. Coniungit Dominum populo, et Deo populum. Fit per Eliam una concordia inter Deum et hominem, inter populum et genitorem. Et ut universi dicerent, [c. 696] vere Dominus Deus ipse est Deus: clavis coeli fit sermo Eliae sanctissimi. Iubet enim, et clauditur: orat post modum, et aperitur. Clauduit, inquam, coelum, et aperit: ligat, et soluit: reserat, quod conclusit: ut sanctorum meritum monstraretur, non solum in terris posse, quod voluit: sed et in scelestibus posse impetrare, quodcumque petierit.

Sermo Wiennensis 24

De Eliseus et Syrorum insidiis et campo vel detectis
(PLS 4, 696-699)

[c. 696] Et si frequenter populorum meritis, aut bella nascuntur, aut fames inducitur, aut exitialis vastitas irrogatur: quibus aut frangatur malitia, aut superbia resecetur, aut increscens vitiositas comprimatur: tamen isthic divinae ostendendae virtutis et demonstrandae potentiae genitoris Elisei sanctissimi temporibus, filiis Israel a Syriis bellum indicitur, et futura pugna instantissime nunciatur: in qua pugna tenduntur in campo ab inimicis insidiae, doli ab hostibus praeparantur, deceptionum latebrae disponuntur; et populus Dei non tam bello, quam insidiarum fallacia devincatur. Hoc nudat Eliseus propheta sanctissimus, mittens ad regem Israel. Observa, inquit, locum fili mi, quia in ipsum Syri confidunt: cuius vitatio loci et Israelitas fecit incolumes, et Syros reddidit strictiores. Tunc Syrorum rex convocat suos: Dicite, inquit, mihi: dicite, quisnam me Israelitis detulerit, quis consilia insidiarum nudaverit, aut deceptiones, quas contra eos fecimus, indicarit. Nullus te, inquiunt, detulit: nullus tua consilia denudavit: sed est in istis propheta sanctissimus: qui si quid cogitas, novit: qui si quid loqueris, scit: et quaecumque occulte disposueris, recognoscit. Idem illis totum retulit: idem, quod disposueras, indicavit. Sedebat nanque Eliseus in monte altior mundo, propior coelo. Sedebat, inquam, in aedito iacentia infra sese despiciens, superna iam devotus attendens: nec humano colloquio deditus, qui per precum colloquia, Deo fuerat copulatus. Tunc itaque Syriae rex mittit exercitus, multitudines aggregat, armatos [c. 697] instigat, ut circumdato monte hominem Dei adducerent sibi. Irrisit se nequissimus hostis: irrisit, et stulto consilio de homine Dei aliud, quam debuit, sensit. Si enim Eliseum, Dei hominem non putavit: cur multitudinem misit? Aut si Dei hominem scivit: cur eum, contra se, armatum Dei virtute nescivit? Aut privatum hominem adducere pauci non possent, aut contra hominem Dei valere eius exercitus potuisset. Debuit enim stultus iam credere, contra eum ire non posse, quem latentes insidias audierat denudasse. Cogitabant igitur Elisei indaginem hostes, et ille ad Deum dirigit preces. Multitudo contra sanctum armatur, et ille in monte deprecatur. Circumdant locum, ambiunt montem, non ut Dei hominem captivarent, sed per eum ipsi captivi in Samariam devenissent. Quem montem cum prophetae puer armatis circumdatum conspexisset: O, inquit, Domine surge: quia circumdati sumus. Sede, inquit, fili, sede intrepidus: sede, inquam, ut dixi securus, quia quod non vides, video: quod nescis, aspicio: quod non putas, recognosco: plures enim sunt, qui nos tuentur, quam illi, qui contra nos missi, venerunt. *Domine*, inquit, *aperiantur istius pueri oculi, et videat* (4 Reg. 6,17) quanta sit multitudo nobiscum. Confestim videt angelorum exercitus puer: et quadrigam igneam stantem ante Eliseum. Dehinc descendit Eliseus ad illos, et invocato Domino, dixit: *Percute Domine gentem istam caecitate* (4 Reg. 6,18). O admiranda diversitas rerum, Elisei precibus diversi cedunt effectus. Pueri enim oculi aperiuntur, et nephandi exercitus excaecantur: videt puer, quae videre non poterat: et exercitus non videt, quae videbat. Alterius reseratur visus, et alterius excaecatur obtutus. Ita enim fuerat dignum, ut puer inconcessa videret: et prophetae oratio inimicis concessa denegaret. Interea descendit ad eos Eliseus, et dixit, *venite*, inquit, *venite post me et ego vobis virum, quem quaeritis, demonstrabo* (4 Reg. 6,19-20). O virtus admirabilis Dei. Ducuntur captivi, qui prophetam venerant captivare: detinentur ut rei, qui Dei hominem voluerant detinere. Propheta sanctissimus non pugnat, et vincit, non dimicat, et

subigit. Fit sine sanguine victor, sine gladio triumphator. Una enim prece, et inimicos, qui nocere venerant, excaecavit: et prophetae victoriam de hostibus acquisivit. In reos sua vertuntur, in hostes propria retorquentur: nec se esse caecos agnoscunt, donec reddito visu, et se captivos conspicerent, et prophetam authorem **[c. 698]** supplices adorarent. Mox, ut captivi exercitus civitatem ingressi sunt, clauduntur portae, accurrit populus, rex festinat, stupent omnes, cuncti mirantur. Stupent, inquam, sine pugna hostes adductos, et inimicos sine praelio indagine cinctos: quos non potuerunt facere in bello captivos. Domine, inquit Elisaeus, qui virtutes semper ostendis et mirandis operibus innotescis: quique prodigiis et signis salutaria semper et utilia operaris, reserentur istorum hominum visus: et nuper illis clausa, quae fuerant, in apertam lucem et manifestos aspectus resplendeant: ut et illa quae non vident, videant: et quae videre debeant, recognoscant. Tunc reddito visu lamentantur et plangunt. Tunc se captivos, tunc reos, tunc se morti iam proximos recognoscunt. Statim rex Elisaeo locutus est dicens: *Si percutiam illos, pater? Et dixit ad eum Elisaeus: non percuties, quos non cepisti in gladio et lancea tua: sed appone illis panem et aquam. Manducent et bibant, et eant* (4 Reg. 21,22) in regionem suam. Non percuties, inquit, quos nec in pugna cepisti, nec in praelio superasti. Alia est enim conditio belli, alia est virtus Dei: alius est ordo pugnantis, alia est causa virtutes et signa monstrantis. In bello salus adimitur, gladius timetur, arma tractantur, in portentis et signis vitae utilitas exhibetur. Illic timor est, hic admiratio. Illic metus, hic gloria. Illic formido hominem concutit, hic laetitiam Dei cultus indicit. Illic effectus victoriae, caede hominum constat: hic signorum ostensio Dei potentiam praedicat. Intercipitur enim virtus, si virtutis relator extinguitur: frustra signum apud nos, quod gestum est, remanens ostenditur, si ipse signifer aboletur. Discant qui nesciunt, referant qui senserunt: pergant ad suos, ad proprios redeant, virtutes indicent Dei, potentiam referent Domini. Nuncient, inquam, qui senserunt: qui nunciare non poterunt, si idem, qui senserant, occiduntur. Discant hostibus parcere, qui innocentes persequi consueverant: discant parcendo vincere, ignoscendo terrere, furias hostium humanitate lenire. Igitur postquam apponi mensas aspiciunt, et dapibus se invitari cognoscunt, mirantur et stupent sibi pro morte victum, pro interitu cibum, convivium pro poena offerri. Aut isthic, inquiunt, aliquae latent insidiae: aut si simplicia ista et vera sunt, quales se exhibent suis, cum tales se exhibeant alienis? Aut quomodo cives diligunt, qui hostes taliter tractant? Aut quemadmodum accepta referunt beneficia, apud quos humanitate expungitur **[c. 699]** poena? Denique postquam portis apertis ad suos cuncti dimissi: tunc secum invicem tractant, tunc secum diversa apud suos animos cogitant. Recolunt subito se visu mulctatos, ac per hoc in civitatem hostium venisse captivos. Dehinc reddito visu, nec quid fecerint, meminisse, et quid evadere potuerint, perdidisse. Postea a rege petitos ad mortem, sed prophetam illis fecisse pro morte tribui humanitatem. Gaudent se sensisse tot pericula, quot virtutes: tot signa aspexisse, quot mortes: quibus liberati, et cognovisse, quod non noverant; et evasisse, quod meruerant, gaudent. Fit tunc propheta sanctissimus gloriosus in suis, gloriosior in alienis. Exhibet suis signa virtutum, et alienis causas exhibet gloriarum. Docuit prior inimicos foveri, docuit primus debere hostibus parci, docuit adversariis pro poena, epulas exhiberi. O Dominum Christum, et in veteribus novum, et in novis exemplis veterem figuratum. Elisaeus sanctissimus clausit visum, et reserat: caecos efficit, et illuminat: aspectum adimit, et condonat: persequentibus adimit, et se sequentibus tribuit: caecos efficit alienos, et videntes efficit in civitate inclusos.

Qui captivare prophetam venerant, excaecantur: et qui capti iam fuerant, oculantur. Huius utriusque veritas completur, ut et figura Christi, et exemplum futuri populi monstrarentur, ut iam fierent ex alienis proprii, ex inimicis amici, et hostibus sui. Dimittit Elisaeus exercitus istos, ad suos. Dimittit, inquam, tot praedicatores, quot habuit hostes: tot relatores virtutum, quot homines hostium. Iam apud gentes Deo negotium geritur, iam apud externos comperta veritas demonstratur. Fragrant, inquam, magnalia Dei, virtutes in Iudaea gestae ab ipsis, qui senserant, praedicantur. Nulla natio ignorat, quod didicit. Nulla gens est, quae nesciat, quod audivit ut quod tunc temporis defuit, per apostolos postmodum compleretur, dicente Scriptura: *In universam terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum* (Ps. 18,5). Cui tutum est ignorare, quod gentes iam manifestum est nosse? Quis sine periculo nescit, quod cum metu, qui sensit, exponit? Cui expedit talia de Deo non credere, quae gentes iam conspiciunt demonstrare? Virtutes Dei, et qui sensit, praedicat: et qui audivit, cum alacritate frequentat. Nec sine periculo poterit tacere, qui didicit, quando qui sensit haec gaudia, tacere non novit.

Sermo Wiennensis 25

Ubi Naaman Syrus Elisaei iussu in Iordane baptizatus a lepra curatur
(PL 39, 1830-1832)

[c. 1830] 1. Cum Naaman regis Syriae princeps perfusus lepra fuisset, cumque horrendae plagae maculoso affectus contagio, et sibi iam et cunctis horreret; dolebat rex Syriae talis se viri privatum auxilio, per quem plurima confecerat bella, gentes domuerat, victorias perpetrarat, et de manu hostium, Syrorum populum liberaverat. Tunc audit Naaman apud Israelem populum Elisaeum esse prophetam sanctissimum, mirandis virtutibus praeditum, et stupendis operibus nominatum; per quem posset et causae periculo liberari, et perniciose varietate tergi. Mox suum pergit ad regem, commendari se litteris Israelitarum regi deposcit. Confestim in hunc modum rex ad regem litteras mittit. *Misi, inquit, ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra ipsius* (4 Reg. 5).

2. Has litteras cum rex a rege missas acciperet et legisset, scidit vestimenta sua, dicens: *Videte, inquit, videte quoniam malitiam iste conquirit: misit enim ad me hominem, ut cures eum a lepra ipsius. Numquid Deus sum ego, ut mortificare aut vivificare possim* (4 Reg. 5)? O fides Naaman principis! o istius perfidia regis! Naaman Syrus fideliter festinat ad Deum et rex perfidus suum discindit vestimentum. Diffidunt qui noverant; et qui non noverant, credunt. Domestici repugnant; et externi festinant. Rex Syriae credit posse fieri quod audierat; et rex Israel non credit fieri posse quod noverat. Alieni currunt ad auxilium; et proprii coeleste denegant donum. Qui praedicare debuit, destruit; **[c. 1831]** et qui destruere potuit, festinavit: ut tanto gloria potior esset externis, quanto perfidia innotuerat regis.

3. Tunc ad Elisaeum cum regis commotio pervenisset: *Mitte, inquit, ad me, mitte Naaman Syrum: ut sciat quia est Deus in Israel*. Adducitur itaque ad ostium hominis Dei Naaman Syrus cum quadrigis et equitibus, et potentatu magnifico. Ad quem exivit homo Dei, dicens: *Vade, et baptizare in Iordane septies; et mundaberis*. Quo audito, Naaman commotus proripuit se, dicens: *Ego dicebam quoniam exiet ad me homo Dei, et imponet super me manum suam, et invocabit Dominum Deum suum, et curabit me a lepra mea. Si enim*

aquis me mundari oportet, nonne meliores sunt aquae penes nos? Tunc dixit ad eum quidam ex suis: *Numquid difficile verbum est, quod locutus est Propheta ad te? Quare non facis quod dixit* (4 Reg. 5)? Tunc reversus est Naaman, et descendit in Iordanem; et baptizatus septies, ascendit inde mundatus: et facta est caro eius quasi caro infantis pueri. Tunc miratur Naaman, tunc stupet, tunc Prophetam conspicit, tunc coelum attendit. Miratur uno iussu adfuisse virtutem, miratur operatum Deum, miratur detersum tanti temporis vitium, miratur sese corpore mutatum et mente. Perniciosa ab eo contagio pellitur, et optata sanitas reparatur. Totus homo naturae redditur; quia perfecta virtus in Propheta sanctissimo operatur. Gaudet Naaman, Propheta laetatur; ab utroque Dominus collaudatur. Gaudet Naaman se quod optaverat, percepisse; et quod perdiderat, invenisse. Gaudet Propheta in opere et laetatur populus in virtute. Gaudet Iudaea, quod venientibus ad se praestet auxilia: dicunt et Gentes, in Israel esse quod apud se invenire non possunt. Seminatur per Gentes gloria Dei. Qui curatus est, praedicat; qui sensit, annuntiat: nec iam dubium habetur quod dicitur, quando Syria, quod in Naaman conspicit, protestatur.

4. Tunc laetus Naaman Elisaeo offert munera, tunc sanitatis voto dona ut accipiat, deprecatur. Accipe, inquit, accipe munera quae offero tibi, quae dono, tribuo libenter, assume. Non enim pretium curationis est istud quod tribuo; nec sanitatem perceptam isto munere redimo: quippe cum sanitas istam quam merui, pretio nec poterit redimi, nec ullo munere inveniri. Mihi, inquit Elisaeus, quod offers non accipio; quod ingeris, ut alienum recuso. Nec enim ipse tibi sanitatem, qua laetus es, praestiti; nec perniciosum vitium in te ego ipse correxi, nec naturae, ut aestimas, reddidi: sed est potens in coelestibus Deus, cuius imperio servio, officio pareo, servituti insisto, cui soli tuus dicandus est animus, praeparandus est sensus, tribuendus est famulatus. Huic enim si soli servieris, aut si obsequia illi debita manciparis: quanta mereberis, conice, cui antequam servieris, tantam merueris sanitatem.

5. Mox Naaman cultus sibi divinos indicit, superstitiosos abscindit. Mox se Deum venerari testatur, et detestari idolum profitetur. Mox se quem agnovit, Dominum colere, et figmenta quae coluerat, abhorreere proloquitur. Nunc, inquit, cognovi quia Dominus colendus est solus. Nunc primum addidici quia unus venerandus est Deus: caeteri enim dii Gentium nec salvare poterunt, nec nocere; quippe qui humano indigentes auxilio, auxilia ipsi praestare non possunt. Nec enim servare poterunt qui servantur, aut vitam tribuere qui non vivunt, aut sanum quempiam colentium facere, qui se non possunt de non colentibus vindicare. Tunc Naaman proficiscitur in Syriam laetus, tunc ad suos properat sanus. Laetantur omnes qui cum eo tristes advenerant, gaudent cuncti qui eius valetudinem exhorrebant, magnalia Dei secum cuncti loquuntur, virtutes eius universi cum invicem fabulantur.

6. Statim Giezi Prophetae puer secum loquitur dicens: Quoniam Dominus meus a Naaman Syro noluit **[c. 1832]** quidquam accipere, ego pergami; ut quod ille noluit, sumam. Pergit propere, festinanter accurrit: quem cum post se festinantem pueri Syri conspicerent, ac Domino nuntiarent; mox Naaman suorum statuit currus, vehicula retrahit, animalia flectit, ipse properus ac festinans in obviam redit, causas exquirat, ad se properandi rationes exposcit. Ille simulator ac fallax aptat mendacium, falsum componit: dicit a Propheta sibi esse mandatum, quasi argenti aliquid mitteret, quod advenientibus ad se Prophetarum liberis tribuisset. Instanter Naaman puero duplum quam petierat dedit, quod Prophetae supplex ipse ac deprecans dare non quivit. Quo accepto in sequestri deposito, Elisaeo apparuit, atque in eius conspectu solito more

consistit. Ubi, inquit Propheta, fuisti, vel quid rei ac negotii gessisti? Nusquam, inquit, isthinc discessi; nusquam a tuis conspectibus abfui. Tunc Propheta sanctissimus erumpit in vocem: *Nonne cor meum, inquit, fuit tecum? Scio quemadmodum properarit Naaman in obviam tui, a quo accepisti argentum: et possidebis ex eo agros, et vineas, et oliveta, servos et ancillas; et lepra Naaman Syri applicabitur tibi et semini tuo usque in aeternum. Et statim discessit ab eo leprosus sicut nix* (4 Reg. 5). O admiranda potentia Dei! o sublime meritum Elisaei! Uno in tempore duplex virtus ostenditur, et gemina potestas Prophetam sanctissimum demonstrat. Curatur Naaman Syrus; et lepra Giezi perfunditur servus. Syro fides attulit gloriam; et servo perfidia intulit poenam: ille de Syria veniens, quod desideravit, accepit: hic de Prophetae exiens domo, plagam sibi de perfidia acquisivit. Naaman curatur et gaudet: Giezi vulneratur et deflet. Alius suis redditur sanus; alius cunctis ostenditur maculatus: alius exemplum virtutis ostenditur; alius meritum fallaciae demonstratur. Curatur fide, qui fuerat maculatus; et maculatur perfidia, qui fuerat sanus. Naaman invitat ad Deum; Giezi profertur singulis in exemplum. Per Naaman Dominus collaudatur; per Giezi iudicium coeleste metuitur. Inde salus nascitur, hinc metus: inde gloria petitur, hinc fraudis molestia formidatur: ut his exemplis et fidei pretium, et perfidiae supplicium cunctis gentibus monstraretur.

Sermo Wiennensis 26

*Ubi sub Elisaeo obsessa Samaria et famem patitur ita ut distraheretur caput
asini quinquaginta siclis argenteis
(PL 39, 1836-1837)*

[c. 1836] 1. [...] Dum a cultu Dei gens iniqua discedit, horrenda fame comprimitur, et iusta necessitate turbatur. *Venit, inquit, filius Adadezer regis Syriae, in Samariam, et obsedit eam: et facta est fames magna, ita ut venundaretur caput asini quinquaginta siclis argenti, et quinque siclis argenti quarta pars cabi stercoris columbini.* Cur famem, o miserrime, pateris? Cur inopiam teterrimam sentis? Cur tanta penuria laceraris? [...] Crescit famis quotidie poena; quia quotidie crescit et culpa. Perseverant flagella; quia in populo perseverant et delicta. Propter te enim hostis irruit, inimicus obsedit, adversarius tua pabula devoravit. Tu esuris: et ille pinguescit. Tu famem horridam pateris; et ille de tuis pabulis, suis vacat epulis. Tu asinorum cadavera, et stercora columbarum argento mercaris. Callida deinceps vita, damna peccata, delicta compesce, ad Deum convertere, relinque idolum, abominare figmentum; tunc poteris hostes divino adiutorio vincere, et coelesti praelio superare. Nec quisquam tibi poterit nocere ulterius, si damnato scelere divinus in te germinaverit cultus. Proh nefas! Horrenda cadavera et columbarum stercora peccator populus vescitur, nec Dei cultum quaerit: inquinatas carnes et horrendas escas fames et necessitas poscit, et adhuc figmentum hominum duritia colit: pabula denegantur, et illicita a peccatoribus exhibentur: Deus a populo peccatore non quaeritur, et idolum adoratur. Mutatur in figmentum Dei cultura, mutatur religio, mutatur et esca: mutatur Dei sancta cultura, mutantur et hominibus pabula, interdicta vescuntur. Ut enim alienum est quod colitur; ita alienum est quod contra regulam esuritur. Nec enim difficile est populum famem posse sentire, quem male vivendo constat spiritualiter esurisse.

2. Interea crescunt cum vitiis augmenta famis, et peccata matrum cadavera appetunt filiorum, et alternis vicibus mulieres duae suos natos devorare disponunt. Proh dolor! In cibum pietas vertitur, in pabulum suscepta soboles commutatur. Ante parricidium geritur, quam ad funestas epulas veniatur. Anima artubus elicitur, et matrum viscera polluuntur. Innocens sanguis effunditur, ut parentum fames rabida saginetur. Apud illas enim totum crudele, nefandum est, inquam, insontis sanguinem fundere, innocentis carnes concoquere, decoctos artus avidis faucibus transvorare; ut natum convertat in cibum, quem Deus condidit in solatium. Sed postquam ad funestas epulas ventum esset, altera mulier alteram exhortatur: Recipe, inquit, recipe, miseranda mater, in viscera filium nuper visceribus procreatum. Esto tui nati sepulcrum, esto eius corporis diversorium: esto eius, ut ita dixerim, monumentum. Intra te paululum comestus infans redeat, qui prae fame vivere iam iamque non poterat. Materni sinus qui vitalem intra se enutrierant, et nutritum in luce protulerant, particulatim [c. 1837] sibi redditum recognoscant. Recipiat nunc comestum uterus, quem vivum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuus, unde nuper exierat vivus; quoniam fames urget, necessitas cogit. Cur enim nato superstite moriar, et non magis natum ego mater consumam?

3. Igitur cum haec mulier comestum iam conspiceret puerum, suum ab ista clade subtrahit filium. Negat se facturam in proprio, quod cum matre fecerat in alieno. Sufficit, inquit, mihi, sufficit tuo sceleri, mulier, consensisse; sufficit me funestas epulas degustasse, et innocentis carnibus mea viscera polluisse. Crudele enim tecum participavi consilium, ut nefandum exercerem de meo filio parricidium: quod tecum admisi, expiare non possum, nefandum scelus recusare non valeo. Esto saltem relevata in meo, quae sic gravaris in tuo: desine meo scelere, desine tuo graviore commisso. Utinam nec tu faceres quod tu fecisti, nec ego scelus admitterem quod incurri; ut homicidium facerem, et parricidium perpetrarem. Ex me disce quid feceris: quia et ego per te merui quod amiserim. Quare istud quod cogis non facio, quod suades effugio, quod ingeris perhorresco.

4. Tunc ad regem altera alteram pertrahit, ad iudicium ducit, causam tanti sceleris publicavit, quod enormitas facinoris publicare coegit. Tunc, inquam, sceleratum factum prodidit dolor, tunc immane facinus pietas perfida denudavit. Ardet insana mulier, quia parricidium fecit; ardet, quia filium suum devoravit: sed plus ardet, quia in illa clade filium suum alia non immolavit. Aut ego cum hac, inquit, moriar: aut certe ut haec meum, ita illius natum invadam. Pactum nostrum iustitia iniqua, rex iuste, confirma: quia ego numquam meum natum occiderem, nisi suum occidendum amaro placito locavisset. Ergo, Domine rex, aut meum qui comestus est, reddat; aut suum qui est absconditus, prodat. Certe ut dignum est, utrasque nos pari sententia percutere; ne aut ego post tantum facinus vivam, aut haec sese gaudeat non fuisse in suum filium parricidam.

5. Quo audito rex vestimenta conscidit, vultum mutavit: et continuo propheta ad regem mandavit, *Haec dicit Dominus, Hac hora, crastina die, mensura similaginis siclo emetur, et duae mensurae hordei siclo in porta Samariae ementur*. Nuntiat Propheta sanctissimus ad regem coelitus ubertatem, quam sola fides crederet, et perfidia posse fieri denegaret. Nuntiat in locum famis futuram abundantiam similaginis, nuntiat cessaturam famem, successuram ubertatem. Nuntiat subito magnalia Dei successura virtute Altissimi; et additur proprio sceleri perfidia hominis. Tunc homo qui missus

fuerat a rege ait: *Nec, si cataractae coeli aperiantur, possunt fieri quae narrantur.* O perfidia hominis! Non credit promissam fieri ubertatem, qui horrendam senserat egestatem. Nec considerat Deum promisisse abundantiam, qui populo irrogarat penuriam. Scelestissime homo, cur mirabilibus non credis? Cur farra non accipis? Cur promittentem Dominum perhorrescis? Crede, quod credentibus datur; crede populo futurum, cuius te iam negaveris socium. Et quia bonis tantis indignus es, haec tibi videre conceditur, et posse perfrui denegatur.

6. Igitur dum haec geruntur, auditum fecit Dominus in castris Syriae, ut populo promissam tribueret ubertatem: quadrigarum strepitus, et curruum sonitus, et armatorum tumultus inimicorum auribus maluit resonare, ut posset iam suum populum liberare. Quo strepitu perculsi inimici fugiunt, sine pugna terga vertunt, utensilia relinquunt; et Israelitae egressi civitatem, castra hostium invadunt depraedantes. Revertente ergo populo onerato, ille qui non crediderat, cecidit lapsus, et ubertatem videns in populo cecidit, pressus est (4 Reg. 6-7).

Sermo Wiennensis 27
Diligite iustitiam qui iudicatis terram
(Leroy, 185-188)

[p. 185] 1. In libro sapientiae Salomon sanctissimus inchoat dicens: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram* (Sap. 1,1). Coelestis sapientia Christus primam vocem in libro sapientiae protulit dicens: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram* (Sap. 1,1). Iustus iustitiam admonet, iudex iudices docet et ad integritatis amorem provocat Deus ipse rectores. Iustitiam, inquit, iudex, quam de aliis exigis praesta, culpam quam in singulis damnas, in te prior ipse condemna. Recte vive qui alios corrigis, inculpatus esto qui homines dum iudicas reprehendis. Non enim debet iudicare alium peior aut vitiorum obnoxium poterit coercere qui est obnoxius vitiorum, loquente apostolo Paulo: *Qui praedicas non furandum, furaris; qui horres idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras; nomen Dei propter vos blasphematur in gentibus* (Rom. 2,21-24). Omnis enim qui iudicat, a se primo debet incipere et sic alium posse videbitur iudicare, loquente apostolo: *Si nos ipsos diiudicavimus, non diiudicavimus* (1 Cor. 11,31). Amputa a te quisquis es vitiorum excessus, amputa a te importuna gravamina peccatorum; culparum surculos et delictorum nocivas fruges aut in te noli admittere aut admissas instanter exclude; serva in te integritatem naturae, serva artificis puritatem; nihil vitiosum in te fabricator aspiciat, nihil in te aemulus malitiae auctor infligat.

2. Iudex enim iustitiam omnifariam debet implere tam in propriis moribus gubernandis quam in iudiciis publicis exsequendis, ut dum in actibus suis adhibet gubernatorem iustitiam, in corrigendis aliis eundem adhibeat iudicem [p. 186] quem ceteris ut iudicet, adhibet ipse censorem; ut dum se per eam gaudet ornatum, gaudeat eius intercessu populum videre correptum et tales conetur alios iustitiae magisterio perficere qualem se gloriatur per ipsam iustitiam extitisse, ut iustitia a iudice tali perfecta in cunctis populis enitescat. Ut enim a iustitia derivatum nomen est iudicis, ita a culpa reatus nomen est peccatoris. Sicut enim iustitia dignum efficit iudicem, ita culpa reum efficit peccatorem; ut enim reus iudex esse non poterit quia eum culpa obnoxium fecit, ita inculpatus iudex existit, quem iustitia liberum fecit. Quare digne alium reprehendit, digne iudicat alium, qui ab alio iudicari non possit. Cur enim in alio

damnat quae ipse commisit, cur reprehendit quae libenter admittit, cur occulte gerit quae ipse publice reprehendit?

3. Cogita enim quia tu, homo, hominem iudicas, te hominem iudicaturus est Deus. Unde tibi de tuo iudicio malum nascetur iudicium, dum quod damnas geris, quod reprehendis admittis, dum tibi licita facis quae in aliis esse impunita non pateris. Et ideo Dominus loquitur dicens: *Quocumque, inquit, iudicio iudicaveritis, eodem iudicabitur de vobis* (Mt. 7,2). Dominus Christus vult te sollicitum, vult te esse perpensum, vult te meditari coeleste iudicium, nec tam quaerit te alterius tractare accusandum iudicium sed tua considerare merita, qualis ad iudicem Christum pervenias. Ita enim tibi iudicandi lex ipsa terminum fixit et vivendi condicionem attribuit. Noli igitur dum iudicas, peccatorem iustificare potentem, noli iustum despicere pauperem, Salomone dicente: *Vobis dico sapientibus ad cognoscendum referentis personam in iudicio non est bonum qui dixerit de impio: iustus <es>, maledictus erit in populis et odibilis in gentibus* (Pr. 24,23s). Par enim et unum malum est <si> in istam sententiam proferendam iudicas sed immo duplex malum est, et in vitae officiis degenerem esse dum peccas. Ut enim excusari iniustus iudex non poterit, ita indignum vitae meritum Deum non potest promereri. Nam qui in vitae suae iudicio fallitur, quomodo in alieno iudicio falli non posse credatur?

4. Ceterum iudici accidit aliud gravius: si iudicium vendit, si personae succumbit, si fidem abicit, si religionem ac dignitatem suam contempta salute protegerit. Hic enim non iudex sed reus est, hic, inquam, non est executor iustitiae sed magister est culpa. Talis enim populo plus exemplo nocet quam rebus: delectat enim delinquentem cum iudicem viderit aberrare, peccare libet cum qui peccata resecat peccat. Integritas iudicis correptio est peccatoris. Pro nefas! Ubi iustitiam invenis si professor in culpa est, aut a quo pravitas corrigitur si corrigendus est ipse qui corrigit? Ut sit iam beatus [p. 187] in populo qui quod dicit servat, sit ille miser in omnibus qui quod docuit violat, ut privatis timor proficiat in salutem si potestas iudici profecerit in perniciem.

5. Sed forsitan aliquis considerans quia de eius iudicio iudicaturus est Christus, iudicandi officium fugiat et personam a se separet iudicis cedente virtute. Primum itaque si istud cuncti metuerint aut si universi respuerint, quis in ecclesia causarum cognitor praesidebit, quis vitia peccati abscidet, quis a delicto voluntates avertet? Quis virtutes religioso persuadet, quis pravos corrigit, malos plectit, ignaros instruit, errantes reducit, quis peccantibus metum, simplicibus praesidium, segnibus persuade[bi]t officium, quis ad caritatem discordes revocat, quis in amore unanimos firmat, quis religiosos ad fidem, quis devotos ad spem, quis ad sanctitatem integros provocabit, quis singulis necessaria quaeque impertiet, ut dum reos corrigit, pessimos comprimit, alienos excludit, sic sanctum ecclesiae membrorum corpus, integritate ornatum, in adventu Domini reservabit? Quis, inquam, singulis necessaria quaeque poterit impertire, nisi qui sese domicilium virtutum et officiorum exemplum puritate et conscientia et sanctitate vitae construat, ut leges quas observandas praecipit, in moribus gestet, ut iustitiam quam daret actibus demonstret? Loquatur factis qui loquitur verbis, nec aliis imponat quod ipse non portat; quod faciendum praecipit faciat, quod observandum praedicat compleat; non sit minor factis qui est maior officiis ut dum agendo se talem praeberit, tunc et iudicare populis et a Domino merebitur munerari.

6. Unde contumaciam quorundam beatus apostolus increpat dicens: *Sic non est in vobis sapiens qui possit iudicare inter fratres sed frater cum fratre iudicatur et hoc apud infideles* (1 Cor. 6,5-6)? Iudicium gentilis iudicis crimen est

litigantis, quia nec est inhonestius quidquam quam ut iudicetur ab infideli fidelis, a profano devotus, ab extraneo Dei servus, a sacrilego christianus: habeatur prudens in iudicando, qui sit insipiens in vivendo, quaeratur ab eo iustitia qui tota errat in vita, ab illo sapientia expectetur qui sine exemplo Dei sapientiae esse cognoscitur. Quid apud talem rectum, quid iustum, quid integrum, Christiane, invenies, ubi integritatis nullum vestigium? In profanae vitae † exercetur magisterium ubi sceleratus et illicitus cultus repetitur, sacrilegium ubi qui iudicat desertus est a Christo, alienus est Deo, inimicus est spiritui sancto. Quidquamne apud talem sapientiae, quidquamne iustitiae poterit inveniri ubi idolum colitur, ubi superstitio suspiratur, ubi figmentorum vanitas [p. 188] adoratur? Ad hunc ne properes; quidquam utilitatis invenies? Ad hunc iurgans frater cum fratre accurris, ubi plus pecces in iudicio ecclesiae reprobando quam in profano iudice eligendo. Cum non sufficit iurgare cum fratre nisi eum fecerit ante profanum iudicem secum pariter disceptare. Quare in ecclesia prudens quisque sanctus ac devotus existis, quisque sapientia christiana conditus iudicare dissentientibus fratribus praesides, offer te litigantibus iudicem ne fratrem facias delinquentem, ne per te excusetur animositas litigantium, ne tibi ascribatur perfidia peccatorum, ut per te litigantes ad pacem, discordantes in amorem, aemuli ad caritatem perveniant. Sic et proprii officii et concordiae fratrum beatos hauries fructus.

Sermo Wiennensis 28

*Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam
tuam ad temptationem*
(Leroy, 188-191)

[p. 188] 1. Spiritus Dei consilium porrigit, suggerit remedium et dum auxilium postulas beneficium suae divinitatis impertit. Non vult enim a se dimittere quos redemit, non vult in ipso principio fidei suorum quemquam a cursu suae deitatis arceri, non vult tentatione deficere qui ad hoc postulat ut eam discat tolerare patienter. *Fili*, inquit, *ante tentationem esto paratus* (Sir. 2,1), esto ante bellum sollicitus, ante pugnam esto armatus. Non enim dixit cum temptari coeperis, tunc in iustitia et fide persiste, aut cum tibi bellum hostis indixerit, tunc contra eum arma huiusmodi apprehende, sed esto, inquit, in tentatione sollicitus, in tranquillitate cautus, in otio non facile de hoste securus. Gubernator incautus subita tempestate decipitur, inermis miles telis ingruentibus laniatur, inexercitatus exercitati virtute prosternitur. Sic et christianus [p. 189] inopinata tentatione decipitur, nisi ante tentationem timorem Dei ac iustitiam meditetur.

2. Duo enim sunt tentationum genera quibus hostis Dei servos impugnat, alterum quod sub imagine pacis perniciose blandiens persuadet, alteram quod crudeli persecutione illicita violenter extorquet. Sed crudeli subtilis, violentae levis, saevienti blanda infestatio peior est: quanto enim subtilis molestior et quanto levis saevior et quanto blanda crudelior. Inimicus enim tunc vehementius nocet quando amicitiae blandimenta mentitur, quando verbis benignitatem ostendit sed crudelitatem factis demonstrat, quando simulat pacem ut discordiae virus infundat, quando verba eius concordiam sonant sed odium intentant facta. Quicquid enim fuerit ab hoste promissum, hoc ipsum contrarium in opere et inutile invenitur. Ceterum cum se violenter extulerit, aut virtute vincitur, aut consilio declinatur; pax eius atrocissimum bellum, lenitas

eius depravatio est incautorum. *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad temptationem* (Sir. 2,1). Dominus Deus cum suis de temptatione colloquitur et temptationis causas suis demonstrare dignatur. Ad hoc, inquit, Christiane, temptaris ut qualis sis a Domino comproberis; ad hoc adversis quaereris ut si fortiter steteris, muniaris; ad hoc tibi prospera detrahuntur ut contrariis tua fides ac devotio comprobetur. Instruxit Dominus ne deficias; admonuit ne paveas, hortatus est ne forsitan expavescas.

3. Amabilis enim pater est qui filium praemonet et benignus est Dominus qui servum ante praestruit ne castiget; providens iudex est qui edicto admonet ne observanda quisquam ignoret. Ceterum amat filii interitum qui non vult admonitione correptum, ut servum peccatorem existere qui non vult eum praestructuribus informare; quaerit invenire quod puniat qui non vult ante monere quam iudicat. Excusabitur enim pater si filius post admonitionem peccaverit, digne commovebitur Dominus si informari instructionibus noluerit servus; exercenda est iudicis ultio cuius in edicto contempta est admonitio. Inde nec filius dicendus est qui patris monitionem contempsit nec merebitur veniam servus qui praecepto Domini construendis non paruit; nec civis sine ira plectetur qui providentiam iudicis contemnere maluit quam timere. Vult enim gaudere de filio pater qui praestruit, desiderat servum providum Dominus qui praemonuit, non vult iudex ulcisci qui ad hoc monet ne cogatur irasci. [p. 190] Quare audiat filius praestruentem patrem ne faciat contemnendo ultorem; obseruet servus benignitatem Domini ne in eum acrius cogatur irasci; non contemnat civis providentiam iudicis ne censuram sentiat iudicantis. Diligendus est enim pater qui praestruit, amandus est Dominus qui praemonuit, honorandus est iudex qui salutem cohortando donavit.

4. Te, o homo, Dei Spiritus format, tibi sua praecepta insinuat, salutaria monita tibi observanda monstrat. Nec enim umquam utile consilium quisquam sine damno contempsit, nemo nisi demens contraria appetivit. Si servus es time, si filius dilige. Aut quia utrumque es, propter censuram Dominum metue et propter clementiam patrem honore debito dilige; redde amorem patri, reverentiam iudici; ama genitorem quia bonus est, dilige et time Dominum quia iudex est.

In tua enim voluntate est qualem sentias Dominum: si vis benignum, honora ut patrem; si vero Dominum, venerare ut iudicem. Nullus umquam filius patrem honorando offendit, nullus servus Dominum contemnendo promeruit. Servorum nostrorum contemptus multos esse non patimur; filiorum procaciam hereditatis dispendio castigamus. Quare considera, Christiane, quid tibi victori daturus sit Deus, qui ante pugnam tibi filii nomen imposuit: *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei...* (Sir. 2,1).

5. Videamus igitur ut quid dicat hos suo servitio Dominus ab obsequio suae potentiae mancipatos: temptationis futurae praeparet conflictationi imminenti; vel quaedam arma monstrat ut iustitia et timore nos perstare demonstret, cum magis suos cultores temptationum facere deberet expertes, ne paterentur tempestatem in portu, in pace proelium, in castris bellum, in otio iurgium, in prosperitate periculum. Deberent enim esse in portu quieti, in pace tranquilli; intacti in castris, in otio laeti, in prosperitate securi, ne eos procellae in portu opprimerent, turbo in pace agigaret, in castris bellum concuteret, in otio turbarent adversa, molesta in prosperis deterrent. Sed discat qui quaerit, audiat qui proponit. Est enim nobiscum diabolo fortissimum bellum et cum inimico atrocissimum proelium. Ad quod instruitur mens, armatur fides, devotio

nostra hortamentis assiduis roboratur. Certamus sub praemio, sub corona contendimus. Spectat nostra certamina Deus, nostra proelia libenter conspicit Christus; optat victores existere quos armavit, desiderat triumphantes cernere quos redemit, optat quod promisit implere, si quos armavit videat invicto certamine dimicare. [p. 191] Nullum enim umquam sine aemulo gestum est bellum, nullum sine hoste aliquando commissum est proelium. Diaboli eramus antequam redempti essemus; sine hoste non sumus ex quo Christum cognovimus: ut enim diabolus impugnare non poterat quos suos ex transgressione iam fecerat, ita impugnare non desinit quos sibi renuntiasset nunc conspicit. Diabolus enim ex quo hominem quem captivavit amisit, nullum intermisit tentationis illecebram qua non aut contraria suadeat, aut illicita violenter infligat, Quicquid Deus faciendum praecipit, hoc diabolus faciendum non esse praescribit; et quod damnat et execratur Deus, hoc faciendum persuadet hominibus inimicus. Amica Dei, inimica sunt diaboli; prospera Christi inimica sunt hosti. Non vult enim diabolus talem hominem esse qualis esse ipse non potuit; adeo illicita ingerit, execrabilia quaeque immittit; maeretur enim ne talis homo existat qui et praemia divina percipiat et de se supplicium competens sumat.

6. Quare, ad te, o christiane convertor: tuam sponsionem exposco, fidei tua principia ut recorderis desidero. Nonne hoc optasti cum crederes, ut esses Dei qui fueras diaboli, in libertate degeres qui fueras in servitute, in aeternum viveres qui saeculo et aeternitati perieras? Serva promissi fidem, ut possis accipere fidei servatae mercedem, contende quod promisisti complere ut quod credidisti possis accipere; pugna cum diabolo, quia iam armatus es Christo; si damnasti quod fueras, esto quod non eras ne si non fueris quod non eras, videaris id velle esse quod fueras; praevaricationes enim si facis, nomen infamas: aut enim facta nomen imponant, aut nomini facta respondeant. Perdet nomen qui aliud quam vocantur exercet, quia nec esse posset quod vult, qui quod profitetur impugnat. Custodia est enim nobis observanda professionis; sibi illudit qui aliud quam meretur expectat; iudicem enim severum causa efficit delictorum; ut enim securus ac laetus est qui legum iussa conservat, ita poenae est compos qui factis, quod iubetur impugnat.

Sermo Wiennensis 29

De Isaia: cognovit bos possessorem suum

(Leroy, 192-194)

[p. 192] 1. Dominus per Isaiam loquitur dicens: *Cognovit bos possessorem suum asinus praesepe Domini suis. Israel autem me non cognovit et populus meus me non intellexit* (Is. 1,3). Bos possessorem suum agnoscit et peccator Deum contemnit; asinus praesepe Domini sui observat et homo divina iussa depravat. Accipe igitur, contemptor, a pecudibus mutis exemplum; qui non metuis divinum iudicium, esto circa Dominum quales pecudes circa te esse cognoscis, esto animalium instructus exemplo quae natura in obsequia humana instruxit, in famulatum Dominus subiugavit. Et tamen pecora cum sint rationis expertia, in hac parte sine ratione esse non possunt; tu vero, homo, cum sis ratione dispositus, sine ratione dum vivis, Deum genitorem offendis. Erubescat humana perfidia, hominum stultitia confundatur. Pecora ergo hominis obsequia instituta divina conservant et homines Dei iussa obstinata mente declinant; animalia sensate homini famulantur et homines Deum insensate

contemnunt; pecudes quibus rationem Deus conditor denegavit, non sine ratione homini parere contendunt; homines vero qui ratione praesunt, Dominum Deum non colunt dum in stultitia perseverant. Boves Dominum humanum suscipiunt et homines divinum imperium aspernuntur; ex cuius iudicio pecora hominibus deserviunt, eius iudicia homines deserendo contemnunt. Quod malum est ista dementia, quae nec pecudibus posset aequari, dum animalibus mutis in obsequio Dei non potest comparari. Pecudes enim dum homini serviunt, Deo servire noscuntur; homines vero dum Dominum negligunt, se odisse monstrantur. Quare si rationem pecudes accepissent, Deum rationabiliter et colerent et timerent, quae nunc sine ratione tales sunt quales homines cum ratione esse non possunt.

2. Iudicaris, homo, iudicaris animalis exemplo, pecoris obsequio condemnaris; nec tibi prodesse poterit excusatio qui nec divino imperio nec pecoris exemplo Deo parere desideras. Magna enim sunt divina obsequia, bonae vitae compendia: ubi non supplicia de malis actibus metuuntur, sed divina praemia de bonis meritis expectantur. Optat enim Deus bonos esse quos muneret, quam malos quos non sine maerore condemnet. Invitus enim punit quos remunerare mallet si vellent per bonam vitam evadere. Fuge, Christiane, delicta qui Deum promereri contendis; horre peccata qui placere Christo exoptas. Delictorum labes pro veneno timenda est, pernicies scelerum pro telo et gladio fugienda. Non ametur delictum quod genus humanum occidit. Fugiatur peccatum quod hominibus semper paravit interitum. Horrendum sit Dei servo quod aliis videtur fuisse exitio et in quo alterum conspicias interisse, inde magis ipse debes praecavere.

3. Nemo sibi impunitatem de multitudine peccantium repromittat, nemo cum turbis delinquens periculi immunem esse se contendat. Nec enim Adam idcirco in mortem incidit quia solus cum uxore peccavit; aut Cain ideo interitum meruit quia parricidium solus ammisit. Amat plus Deus paucos **[p. 193]** innocentes quam innumeros peccatores et in uno iusto laetatur et gaudet, qui in multis peccatoribus contristatur et maeretur. Adeo cum cataclismo orbem Deus iudicaret, Noe solum cum affectibus liberavit; et cum Sodomam imbri flammifero abolevit, Lot solum cum liberis reservavit. Nam et Ninivitas scelera abolerent, nisi eorum paenitentia iram Domini temperaret. Diligit enim hoc ipso Deus Dominus cum minatur; et quos refrenari a delictis exoptat, eis iudicii severitatem intentat. Obiurgat enim Deus ut salvet, corripit ut emendet, improperat ut reformet. Desperata enim quorundam hominum vox est: 'Tantae multitudinis non amabit Deus clemens interitum nec patietur perire populos quos redemptione sua noluit esse captivos; alioquin ad hoc redemisse putabitur ut sint qui eius iudicio condemnentur. Aut enim ad hoc redemit ut salvet, aut non redemisset quos iudicio postmodum destruxisset'. Horum hominum perniciose prorsus et fugienda persuasio est, ut enim ipsi facinoribus obvoluti sunt, ita ceteros volunt suis ipsis facinoribus implicari. Et dum peccantes indulgentiam sibi non paenitendo promittunt, ita miseras suis persuasionibus ipsi involuunt.

4. Ceterum Dominus Christus redemptis nobis iam veniam dedit, iam sordidos et infectos abluit et mundavit. Quare redemptum peccare iam non licet et mundatum non licet sordidari. *Ecce, inquit, sanus factus es iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat* (Io. 5,14). Qui te incolumem fecit, vivendi tibi legem dedit; qui tibi peccata donavit, peccandi finem imposuit; qui te a sordibus emundavit, noluit te iterum sordidari. Si Deo patre censeris, monita patris observa; si Christi te famulum profiteris, in actibus praecipue talem demonstra. Professionem enim cuiusque rei, facta magis quam nomen ostendunt: medicum

se probare non potest qui mederi aegro non potuit; gubernator non est qui nescit gubernare; philosophus esse non potest qui vitia magis quam virtutes exercet. Sic et christianus esse non poterit qui quod profitetur infamaverit.

5. Quare aut fac quod iubetur si vis accipere quod promittitur; aut si non feceris quod iubetur, accipies quod peccatoribus destinatur. Nam si peccatoribus delictorum poenae non rependuntur, nec iustis merita iustitiae tribuerentur. Porro si iustis praemium redditur, necesse est peccatoribus destinata supplicia exhiberi. Nemo se fallat, nemo se decipiat: qui coelestia iussa contemnit, impunitus esse non poterit. *Si vis, inquit, in vitam venire, serva mandata* (Mt. 19,17). Subauditur contra: 'Si mandata divina contempseris, impunitus esse non poteris'. Imperatoris saeculi iussa nemo sine poena contempsit; patris iram nisi quis placaverit, abdicatur; servorum contemptus inultos esse non patimur. Ergo cum tu, homo, hominis contemptus patienter non toleras, quomodo putas dum peccas Domini offensam posse placari? Unde aut cessa peccare si vis de praeteritis impetrare, aut si adhuc peccaveris, necesse est ut divino iudicio subiugaris.

6. Quare dum licet, dum tempus est, dum paenitere permittitur, dum adhuc qui deliquit potest delicta propria recurare, sancta vita praeterita recurentur; non differamus in crastinum; quia crastinum an videamus incertum est; multos enim haec dilatio trucidavit, quos subreptos non iustitiae reddidit sed potius [p. 194] morti adduxit. Quam moleste delinquimus, tam dolenter Dominum deprecemur; vitium quod in mundo contractum est, hic relinquatur in mundo; indignantis Domini offensam sanctis actibus deplacemur, non contemnamus patientiam Dei quae nos et paenitentiae et correptioni semavit. Maculata vestis diligenter lavetur ut niteat; vexata navis sollicite recuretur ut feliciter ad portus optatos perveniat; vulnus innatum perite curetur ut non hominem ipsum occidat. Haec a nobis impleantur, haec perficiantur a cunctis, nec ad pecudum homo provocetur exempla sed sanctorum potius sequatur actus et merita, ut non post mortem more pecudum pereamus sed in aeterna saecula divinis muneribus consolemur.

Sermo Wiennensis 30

De Isaia [vel] Super illud Esaiae: Si volueritis et audieritis me
(PLS 4, 703-705)

[c. 703] *Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis si autem nolueritis, et non audieritis me, gladius vos consumet. Os enim Domini locutum est ista* (Is. 1,19-20). Si velle aut nolle vestrum non esset: hoc est, si, vivendi recte, an secus libertas adempta nobis fuisset nec bonus unquam coelestae munus digne perciperet, nec malus supplicium competens inveniret: sed totum Deo deputeretur auctori, qui, alios impingeret in contemptum, formaret alios in obsequium. Sed cum divinae legis edicta in ecclesia pendeant: quibus quid fieri Deus aut velit, aut nolit, eius familia instruatur, ut liberae quis voluntatis arbitrio praecepta aut impleat, aut contemnat unde sibi quisque quod mereretur, instituat: nec posse aliud mereri, quam velit: quippe cui legis propositus tenor sit: ex quo quod velit, eligat: et quod nolit, contemnat: ut iudicio hominis Dei iudicium celebretur, ut qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur: qui in contemptum duxerit, condemnetur, dicente Domino, *Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis si autem nolueritis, et non audieritis me, gladius vos consumet. Os enim Domini locutum est ista* (Is. 1,19-

20). Ostendit Dominus hominem se liberum condidisse, ostendit vivendi compotem, ostendit propriae voluntatis authorem. Sed beata voluntas est, quae serviendo comparat libertatem. Misera servitus, quam generat libertatis excessus. Beata inquam libertas, quae servit legi: obtemperat iudici, paret auctori, quae humilis Deo est, subiecta Christo, quae imperata tenet, iussa complet, praecepta conservat, contendit ut placeat, ut promereatur instat: timet offendere, veretur delinquere, amat divina monita frequentare. Ut enim obsequia legis obtinent libertatem, ita contemptus generat servitutem. Domini vox est: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (Io. 8,34). Cessat enim culpae defensio, ubi legis praecessit contemptio: nec facile saeveritas iudicis flectitur, ubi edicti admonitio annullatur. Inexcusatus est reus, cui per contemptum [c. 704] legis, iudex fuerit inimicus: nec in iudicio merebitur veniam, qui audacter contraxerit culpam. Quare iudex admonet, ne peccetur: dum observari iussa persuadet, dum se observantibus, patrem: contemnentibus, iudicem comminatur. Ama patrem praestruentem: time iudicem comminantem. Utrumque enim salutare et bonum est. Si enim amas, obaudi: si times, deservi. Promissi praemii, et destinati supplicii, ante oculos diversa constitue. Nullum momentum sit, quo non ista pertractes: nullum tempus, quo non, quae destinata sunt, cogites. Dum enim haec iugiter meditaris ac loqueris, teipsum instigas. Praesto est lectio, quae persuadeat. Non potest cogitare peccatum, qui supplicium cogitando veretur: non potest delinquere, qui futura praemia meditatur. Sint ista in corde, et numquam delinquitur: frequententur in ore, et numquam peccatur. Oblivio mandatorum, causa est delictorum: formido supplicii, abolitio est peccati. Caeterum contemptio legis, conditio est servitutis. Non enim idcirco servus liber efficitur, ut ab eodem iussa Domini contemnantur: aut ideo filius potestate patria liberatur, ut beneficia patris contumeliis ab eodem dispungantur. Unde sic inter homines mos iste observatur, ut libertus ingratus graviore servitio addicatur, aut filius contumax potestate patria abdicetur. Libertatis enim indignus, qui Dominum liberalem offendit, haereditatem capere non potest, qui filii nomen per contemptum patris amittit. Sic et homo liberae voluntatis effectus, datam libertatem amittit, si Dominum contemnendo despexerit. Sed dicet aliquis: Cur me Deus liberae voluntatis fecit, qui legem mihi, secundum quam vivam, praestitit? Aut cur mihi ordinem vivendi lex ipsa praescribit, si natura mihi vivendi libertatem attribuit? Nulla libertas recipit conditionem, nulla conditio non affert servitutem. Aut enim liberum mihi est facere ex natura, quod velim, et lex mihi imponere necessitatem non debet: aut si necessitas mihi per legem imponitur, cur naturae libertas, quae data est, imputatur? Sed ita hoc ipsum o homo vere dixisses, si lex cum natura pugnaret: id est, si aliud lex, aliud natura praeciperet. At cum lex naturam procuret, et natura ipsa legis instituta conservet: et legis praecepta servare, sit naturaliter vivere, (Quicquid enim lege praecipitur, hoc naturae iure servatur: et quicquid natura geritur, hoc praecipi legibus demonstratur). Cur itaque putes esse diversa, quae conspicias ex ratione esse similia? Caeterum ad hoc homo liberae voluntatis a natura formatur, ut quae natura genuit, sibi exercenda cognoscat: et quae natura non novit, fugienda [c. 705] esse defendat. Ut enim bona natura formavit: ita mala interpolator hostis invexit. *Et vidit*, inquit, Dominus *omnia quae fecit esse bona valde* (Gen. 1,31). Unde qui liberae voluntatis institutum se meminit, et ingenuitatem suam docente natura cognoverit, quod natus est, servet: quod factus est, vindicet. Aliud enim velle esse, quam factus est: non est libere vivere, sed conditionem servitutis excipere. Nam si personam tuam Christiane pertractes, libertatis collatae duplex a te debetur obsequium.

Alterum, potestate servitutis, qua et peccando addictus est: alterum, libertatis collatae, qua et filius adoptatus es, ut et quid fueris, serviendo testeris: et quid a Domino consecutus sis, maiore servitio fatearis. Non enim proprio merito consecutus es libertatem: sed liberalitas Domini te liberum fecit. Quare si liber ante meritum factus es, acquire maius per obsequia meritum, ut ex tuo servitio, a Domino merearis et praemium. Tene obsequendo, datam a Domino libertatem, et per te acquire Domino promittente, mercedem. Provocet liberalitas Domini in obsequium, quem adoptando Deus destinavit in regnum: ut dum totum illi dicamus obsequium, et liberalitas data servetur, et praemia promissa reddantur. Perdet enim quod meruit, qui divina mandata contempserit. Servitutis astringetur iugo, qui non paruerit redemptoris imperio. Ingratus est libertatis, qui peccando conditionem exceperit servitutis. Nec cum filiis poterit numerari, qui contemnendo patrem, meruit abdicari.

Sermo Wiennensis 31

Ego sum, ego sum qui deleo facinora tua
(Leroy, 194-197)

[p. 194] 1. Isaias propheta dicit: *Ego sum, ego sum qui deleo facinora tua et peccatorum tuorum non memorabor* (Is. 43,25). Tu autem in mente habe ut iudiceris; die primus iniquitates tuas ut iustificeris. Pietas venerabilis Dei iam veniam decrevit necdum qui peccaverat postulavit indulgentiam; qui offensus est pollicetur et nondum qui reliquerat deprecatur; adhuc peccantis nullus est fletus et miseretur qui contemptus est Deus. Sententiam venia praevenit; misericordia severitatem excludit, iudicium bonitas antecedit et quasi offensus offenderit aut laesus laeserit, sic sibi indulget prior qui amat plus ultione veniam confitenti tribuere quam peccatoribus iurgare; dat enim remedium ut qui contemnendo incidit in culpam, confitendo accipiat veniam et cui peccatum intulit mortem, ei confessio afferat sanitatem; nec se acerbitate peccantis indicat commoveri, ne vel sermone deterreat qui confiteri desiderat ut absolvat. Fit tolerabile quod admittitur quia gravius est quod celatur; nec enim tam perniciosum est quod peccator <fatetur> quam perniciosius est quod tacetur. Molesta aegritudo efficitur cum medici remedia contemnuntur; severus iudex [p. 195] movetur cum a reo veniae causa despicitur. Molestus pudor est quem verecundia servat ad poenam; contemptae curae mortiferum vulnus, sprete remedii inexcusabilis poena. Sui enim hostis exstitit qui medentis consilia obstinata mente contemnit. Nec miseranda iam causa peccantis est qui iudicem sentiet quem medicum habere non meruit. Ceterum clementissimus Deus invitus iam punit qui nolente reo non potuit misereri.

2. Quare timet peccator? Clementiam quam offendit, bonitatem quam negligit vereatur; dum licet paeniteat, dum permittitur doleat; in eius enim manu utrumque consistit et reatus et venia. Non timeat confiteri qui peccare non timuit; immo festinet ad veniam qui festinavit ad culpam. In Deo enim et misericordia velox est et tarda vindicta sed fit de tarditate nonnumquam fenerata censura. Amplectere igitur coeleste munus oblatum, qui merebaris peccando supplicium. Cogita enim severitatem Dei nec facinoribus interim provocari, nec bonitatem eius delictis posse mutari. Tu peccas et ille tibi cum remediis occurrit; tu delinquis et ille tibi veniae causas ostendit; unde reum te tibi absolvendo constituit, cuius mala bonis, peccata remediis, contemptus

benignitate expungit ut iam iudicio peccator excusatus esse non potuit qui et praeceptum contempsit ut delinqueret et post delictum confiteri noluit ut periret.

3. Sed vellem silentii istius et causas exquirere, vellem obduratae mentis consilia retractare. Utrumne pudet quid dicere, an non vis quod occulte commiseris iudicare? Si pudet, parce; si silere vis, desine. Ceterum Deus tibi conscientiam testem adplicuit et se tibi iudicem destinavit, conscientiam qua revinceris, iudicem quo damnaris; qui et dixit: *Nihil est tectum quod non reveletur et occultum quod non detegatur* (Mt. 10,26). Sed bonitas Dei causas quaerit ad veniam, vult exaudire quod novit, vult te fateri quod cum admisisses exhorruit ut ex te confessio nascatur ad veniam quia ex te peccatum natum est [p. 196] ad vindictam. Non enim Deus idcirco confiteri persuadet ut commissa sciat: gesta novit, cogitata cognoscit. Erras enim si putas quia Dominus rerum occulta non novit, ut conscientiae iudex, conscientiam quid admiserit nescit. Unde gravius peccat qui putat Dominum a se commissa nescire, cuius paenitentiam contempsit cum delinqueret et postmodum veniam nolvit ne delicta quae fecerat iudicaret ut nec ante peccatum fuerit providus et post peccatum fuerit obstinatus, ut iam ubique sit contumax ubi perseverat ut quemadmodum dum praecepta contempsit ut delinqueret, ita remedia contemneret ut digne pro meritis interiret. Frustra celas, peccator, quod Deo teste fecisti, frustra occultas quod praesente Domino vel cogitando peccasti. Si nosis, time, si nosis, inquire. Deus enim et praeterita recolit et praesentia cernit et quae futura sunt novit. Nemo se fallat, nemo decipiat! Dominus Deus peccata quae committimus, aut donat, aut punit; aut ignoscit aut plectit. Nihil oblivionibus aboletur nisi quae eius bonitate donatur; aut enim veniam confitentibus tribuit, aut poenam contumacibus irrogabit.

4. Adsunt praeterea et angeli sancti qui per momenta afferant commissa quae gerimus, adest ipsa quae peccatores stimulat conscientia, adsunt quae ad coelum vociferantur ipsa peccata. Et putas te posse latere cum et Deum iudicem noris et reus tot testibus tenearis? *Clamor*, inquit Dominus Deus, *Sodomae et Gomorrah* (Gen. 18,20s) ascendit ad me. O admiranda bonitas Dei! Clamant Sodomitarum delicta ad Deum et adhuc vindicta differtur; ab scelestis videlicet praesentes angeli patiuntur et quaerit benignitas qui salventur. Lot solus liberari meretur et eius generi an vellent evadere consuluntur, indignis salus offertur et illi pro meritis obdurantur. Nec enim contra credunt Deum vindicem, quem diu contempserant patientem. Unde, fugiendo noluerunt evadere quia peccando meruerant interire. Iam enim illos tenebat poena quos infecerat culpa, deligarat supplicium quos supplicio tradiderat meritum; idcirco enim remedia fugae contempserant quia illos invadere coelestis ultio iam quaerebat.

5. Ad Ionam quoque prophetam loquitur Deus: *Surge*, inquit, *et vade ad Ninivem civitatem magnam et praedica in ea quoniam ascendit clamor malitiae eius ad me et rursum praedica* (Ion. 3,1; 1,2b), inquit, *eis: Adhuc triduum et Ninive subvertetur* (Ion. 3,4). Magna et venerabilis pietas Dei quae ad hoc minatur ut terreat, ad hoc terret ut flectat, ad <hoc> flectit ut parcat; mavult enim tevere ut salvet quam [p. 197] silere ut vindicet. Ceterum vindicare in reos noluit qui futurum interitum praedicavit: adeo Ninivitae paenitent et evadunt, humiliantur et vivunt; damnata culpa mutatur sententia, denique solvunt preces quos delicta ligaverant; lavant fletus quos scelera sordidarant, exhomologesis tribuit veniam, venia praestitit indulgentiam, sedata est ira. Ita enim Sodomitae per paenitentiam possent evadere ut Ninivitae per contumaciam interire;

denique istis admonitio perfecit in salutem quia contumacia illis debuit attulisse perniciem.

6. Duo de multis exempla adtulimus tam necessaria quam diversa, tam utilia quam disparia. Quibus quivis et terreri debet et flecti et metuere Deum et timere supplicium, fugere poenam et festinare veniam; novit enim quid debeat fugere, quid sit quod oporteat observare. Conferat salutem exemplum quia propterea diversorum ostensum est meritum. Amplectemur vitam de interitu Sodomorum et fugiamus mortem de sollicitudine Ninivitarum. Curet paenitentia causam ne obstinatio afferat poenam; sanet confessio vulnus abstrusum ne plaga vulneris dum celatur occidat, exhomologesis divina severitas leviatur ne in vindictam qui misereri debuerat provocetur: excusari enim peccator non poterit cui remedia oblata sunt quae contempsit.

Sermo Wiennensis 32
De Ieremiae sanctificatione in utero
(PLS 4, 700-702)

[c. 700] Magnum Hieremiae sanctissimi meritum, magnum in eum collatum est divinitus donum. Magnum, inquam, Hieremiae est meritum, qui ante promeretur, quam nascitur: ante sanctificatur, quam aedatur: ante propheta constituitur, quam mundi exordio potiat. Dicuntur eius merita, et ab eo nec dum exercentur officia: dona narrantur, nec tamen donorum causae tractantur: promotio dicitur, et necdum promotionis negotium aperitur. Noli, inquit Dominus, putare Hieremia, quod hodie te propheta constituo: aut nunc primum, ad istam gentem corrigendam praemitto. Olim enim, olim mihi probatus ac notus es, olim consecratus ac dignus, olim propheta gentibus institutus. Te mihi apertum, te idoneum praescientia ipsa monstravit: tibi propheta Dei praesagium et fiduciam praedicandi attribuit. Per te, prophetiae officia, et meae dispositionis nuncia, perferri ad illos institui. Te tamen nemo deterreat, nemo tibi formidinem vanam immittat. Inter me et ipsos tu eris medius, qui iussa perferas, praecepta ostendas, mandata edicas, nec poteris reticere, quae loquor: Neque enim silentio possis adferre salutem. Quid est, inquit, dominator Domine? Cur minori mihi tam onerosum pondus imponis? Cur ad corrigendum populum, aetatem parvulam dirigis? Cur prophetandi mihi tantam credis provinciam? Ego enim nec ad exequendum idoneus sum, quia aetate premor, sermone impediior, officio terreor. *Noli*, inquit Dominus, *dicere, quia iunior ego sum* (Ier. 1,7). Hoc enim per te fieri volui, hoc per te impleri praecepi, ut iunior senes, et ineloquens eloquentes obiurges. Te mihi dignum: meritum, non aetas constituit. Te idoneum sanctitas, non qualitas sermonis asseruit. Apud me enim non aetas iunior impeditur, aut senior collaudatur: sed actus, et vita, et morum dignitas commendatur. In te, quod amo, in alio non invenio. Eloquentes plurimos video, sed probos invenire non possum. Senes innumeros cerno, sed degeneres omnes aspicio. Quare te ad gentes et populos mittam, ut corrigantur pravi, digressi [c. 701] redeant, contemptores obaudiant. Nec aliud poteris velle, quam volo: quia propterea dilectus es, dum efficis, quod exopto. Proceedit Hieremias ad populum, iussa Domini constanter edicens. Loquitur ad plebem, aggreditur omnes, Dei verba insinuat. Haec, inquit, dicit Dominus. *Quod invenerunt patres vestri in me delictum, quia recesserunt a me* (Ier. 2,5)? Proh dolor, Dominus cum contemnentibus fabulatur. Vult enim inter ipsos et se, iudicium celebrari, vult offensionis authorem detegi, vult delicti causam et

contemptus materiam denudari. Cur me sacrilega mente deseritis? Si vobis numquam contraria intuli, si prospera denegavi, si vos in aliquo deserendo offendi, narrate. Si vero cuncta praestiti, quae optatis, nec unquam vobis aut solatia abstuli, aut beneficia denegavi: vos denique ipsi, cur bonis mala rependitis? Quare vos in prosperis laesi? Quare muneribus offendi? Quare beneficiis desertores exhibui? Cur beneficiis contraria irrogatis? Aut numquid, ut serviatis, nocendum est: aut ut revertamini, vindicandum est? Puto enim, melius sponte quam coacti servitis. Melius siquidem illaesos benignitas corrigit, quam laesos censura convertit. Melius vos utilia revocant, quam poenae discruciant. Propter vos, Aegyptios pressi, Pharaonem delevi, Amorrhaeos extinxi, in terram vos repromissionis induxi. Deos suos gentes numquam deserunt, numquam immutant, numquam in alienos cultus transiliunt. Quod natio quaeque colere instituit, hoc formidat, hoc tremit, hoc instanter defendit, hoc veneratur ac suspicit. Perseverat colere, quod colit: ne mutato ritu errasse dicatur, dum quod coluerat, deserit. Ille suum defendit errorem, et tu tuam Israel non ita vindicas veritatem? Ille perseverat in falso, et tu non perseveras in vero? Ille figmentum veneratur et colit, tu Deum aversaris ac despicias? Ille sua castra defendit, tu tantum imperatorem offendis, dum deseris? Proh nefas, figmentum nihil praestat, et colitur: Deus cuncta largitur, et a prophano populo declinatur. Si tibi Israel, ita quispiam ex ipsis diceret, ego semper quod colui, colo: quod defendi, defendo: quod venerari institui, numquam destruo. Cur tu deseris tua? Cur exempla non sequeris mea, ut ita tua retinere contendas, ut me mea conspicias retinere? Aut cur quem colebas Dominum, deseris, cum me figmentum, numquam deseruisse conspexeris? Aut quare non poteris meo provocari exemplo, cum tuo ego debuerim provocari? Quam defensionem salutis poteris obtendere, quam vindicationem poteris invenire, qui nec aliena opprimis, nec tua defendis, nec reos redarguis, nec te innocentem ostendis? **[c. 702]** *revertere*, quaeso: *revertere ad Dominum* (cfr. Ier. 3,12). Revertere, inquam, ad Deum: quia praeter illum invenire non poteris alium. Revertere ad eum quem indigne offenderas. Revertere ad eum quem crudeliter deserebas. Revertere ad eum, qui idcirco causam proponit, ut purget qui idcirco obiurgat, ut salvet: qui idcirco ante praestruit ne condemnet, dicendo: *Quod invenerunt patres vestri in me delictum, quia recesserunt a me* (Ier. 2,5)? O veneranda pietas Dei, o detestanda contumacia populi. Dicite, inquit Dominus, quid peccaverim quidve deliquerim: cur a vobis contemnar ac deserar: cur post beneficia talia non agnoscar, nec post innumera dona a vobis universis attendar. Aut meam culpam edicite, aut contemptus poenas exolvite, aut me vobis in aliquo defuisse monstrate, aut vos mihi paruisse ostendite. Quid agis homo, quid angeris? Quid respondere poteris, qui incusaris? Provocaris a Deo, qui suae offensae a te causas exposcit: qui tui contemptus rationes exquirat, qui te sua beneficia duxisse in irritum recognoscit. Quia de ipso non habes, quod quaeraris: de te iam iudica, quod mereris. Confitere ergo, confitere quod verum est: et Dominum in suo praestito non cessasse, et te indigne ipsum ac sacrilege contempsisse. Confessio criminis venia est contemptoris. Cito flectitur, ut ignoscat: quia ad hoc impropert, ut non defendas. Non te Deus contemnit, si redeas, etsi tu contempseras, cum abibas. Non te despicit revertentem, qui aliquando horruit desertorem: tuos non aspernabitur reditus, qui ut redeat, suos demonstrat affectus. *Revertimini*, inquit, *ad me et ego revertar ad vos* (Mal. 3,7). Et iterum, *Nolo mortem peccatoris, tantum revertatur et vivat* (Ez. 18,32). Cupit ignoscere, desiderat misereri desertoris: praevenit preces, dum ipse hortatur, ut homo, qui deseruerit, revertatur. Desertores desertus invitat, contemnentes revocat.

Offensus se reis ingerit, ut ignoscat. Quare desertor redeat, contemptor serviat, fidem fidelis exhibeat: ut desertori indulgentiam, et contemptori veniam, et fideli gloriam coelestis tribuat imperator.

Sermo Wiennensis 33

[De tribus pueris]

(PL 39, 1855-1856)

[c. 1855] 1. *Tyranni saevitia in tres pueros.* lubet tyrannus **[c. 1856]** fornacem incendi, et quantum ipse igne furoris ardebat, tanto sanctiores pueros consummabat. [...] Nunc undantis fumi densitate coelum contegitur, nunc horrido sonitu Chaldaei cuncti terrentur; ut magnitudo divinae severitatis per supplicia monstraretur. Saeviebat violentus inimicus, supplicium suis famulis quaesiturus. Saeviebat non ut iustos trucidaret, sed ut suis interitum procuraret. Saeviebat non ut crescerent poenarum augmenta, sed ut cunctis monstraretur divina potestas; ut dum impii suppliciis gloriarentur, flammaram impetu vorarentur. [...] Saeviebant scelerati Chaldaei suppliciis praesentibus perituri, et futurorum ignari ministri iussa accelerant, parant incendia, flammam exaggerant. Crudelitas eius possidet mentem, saevitia immutat voluntatem. [...]

2. *Tres pueri in fornace illaesi.* In fornacem missi sunt sancti, fugiunt flammae, cedunt ignes, incendia expavescunt. Timent ignes laedere quos fuerant iussi incolumes reservare. Ostendunt iustorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet sanctis cum igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licuit in fornace Deum venerari, quem apud homines non licuit honorari. Licet flammaram mereri obsequia, qui non meruerant Chaldaeorum supplicia. Licet ignibus conservari illaesos, quos tyrannus dederat exurendos. Licet in poena esse securos, quos extra poenam non licuit esse intactos: ut ubi interitus, ibi salus; ubi supplicia, ibi invenirentur refrigeria. [...] Accipe, hostis, a suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes iustos, quos iniuste damnasti: expavescunt flammae, [...] et innocentes pronuntiant, quos dignos supplicio deputas: et quae saevire consueverant, dignos sanctos in fornace cernebant. Damnant hostes et absolvunt ignes. Chaldaei adiiciunt, et poenae defendunt. Homines saeviunt, et supplicia venerantur. Tyrannus putabat tantum tormenta posse saevire, quantum ipse sacrilegus existimabat se potestatem habere. Ignis iustis cedunt, ardores flammaram in refrigerium vertuntur, et institutae naturae voraces impetus obliviscuntur; ut iustos venerantes timerent, et eorum hostes persequentes punirent. Ignis iustos hospitio cum omni honore suscipiunt, et libenter obsequium praebent. Hostis mutato genere saevit, nec aliqua pietate movetur, nec humanitate blanditur. Posset vincere, si ignibus imperaret. Offeruntur ergo ignibus iusti vestitu tecti, vinculis colligati: defenduntur ardoribus iusti, et quos vis humana damnavit, ignis absolvit. Nihil cogitat, nihil metuit. Sic namque crudelitas tyrannica superata prosternitur, dum sui satellites devorantur. Cernit poenam, et servorum Dei aspiciit gloriam. Iustus ignes obsequium praestant, iniustus interitum subministrant. Dum vindicat flamma, impii necantur, et iusti salvantur.

3. *Miraculum agnoscit tyrannus.* Cum ad fornacem tyrannus festinanter accederet, stupet laudem, miratur factum, veneratur Deum cum tribus pueris in fornace. Aspiciit iusto divinoque ambitu protegi, quos nuper iusserat violentus exstingui. In illis in fornace videt, quem in illis ante non esse putaret. Quo visu territus furori addit lenitatem: fit repente confessor, qui nuper fuerat persecutor.

Praedicat quem Paulo ante negabat, venerari praecipit, qui venerantes damnavit. Rogat de fornace iustos procedere, precatur de igne Dei famulos prosilire. *Exite*, inquit, *servi Dei excelsi*. Nunc me defensorem Dei profiteor, cuius inimicum fuisse constat; ut cuius servos ignarus persequer, eius inimicos ut defensor, ulciscar. Tunc de fornace egrediuntur illaesi Hebraei, laetantur incolumes, triumphant victores, quod Deo fideliter servierunt, et furorem tyranni contempserunt (cfr. Dan. 3).

Sermo Wiennensis 34

De tribus pueris

(Leroy, 197-199)

[p. 197] 1. Cum virtutes gestae et mirabilia in praeterito celebrata frequenti sermone narrantur, excitatur fides, incenditur animus, provocatur affectus, ipse denique vigor mentis in maiora officia dum provocatur increscit. Neque enim est aliud quod salutem afferat nobis quam ut in Domino contemplando atque in eius opere admirando cuncta tempora explicemus. Hac enim causa efficitur ut stupeamus potentem, miremur artificem, praedicemus auctorem atque in eum promerendum toto conatu fidei in virtutum officia exeramus. Semper enim quod gestum est geri conspicitur dum adsiduis relationibus innovantur. Nec potest incurrere vetustatem quod denuo non patitur silentio praeteriri. Inde est enim quod per ecclesias omnes Deo gratiae referuntur, sancta officia frequentantur. Nec enim licet alicui tacere quod praeconio laudis <...> non licet praeterire ut dum ista meditamur, Dominus honoretur et nostra devotio comprobetur.

[p. 198] 2. Et *dixerunt Sedrach, Misach et Abdenago ad regem Nabuchodonosor: Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi; est enim Deus cui nos servimus qui potest eripere nos de manibus tuis, o rex, et liberare* (Dan. 3,16). Dolebat tyrannus sese contemptum et in despectu sanctorum totam se amisisse deputans potestatem, excitatur, in furiam provocatur, totam crudelitas eius possidet mentem, immutat saevitia voluntatem nec sui compos est spiritus dum totus eum coëfficitur alienus. At contra iusti, fiducia Dei et meriti sanctitate securi totum credunt, totum confidunt, quicquid in sui tutelam et in eversionem tyrannicam Dominum operaturum esse cognoscunt ut aut liberati gloriarum superstites extitissent, aut consummato martyrio gloriosiores ad Dominum pervenirent; nec possent minas terrores ac supplicia formidare qui protectorem Deum de ipso incendio posse crediderant liberare.

3. Tunc itaque tyrannus videns sese despectum atque contemptum praecipit fornacem incendi, iubet administrari flammam, supplicia praeparari. Discurrunt igitur per fornacem ignium globi et flammarum crepitus vasto sonitu omnia circumcirca terrebant, dum aestuante camino totum inter haec foris ignis possidet, flammae occupant, incendia dominantur. Terrentur ipsi qui terrent, formidant illi qui efficiunt formidare. Soli iusti consistunt laeti, fiducia divina securi. Sed postquam sanctos ignes accipiunt, velut quadam formidine ac metu deterriti cedunt fugiunt expavescunt et eorum praesentiam sustinere non possunt. Fiunt ita in fornace refrigeria, extra fornacem incendia. Licet inter ignes morari quibus extra ignes morari non licuit esse intactos. In camino sancti Deo referunt laudes, extra caminum resonant Chaldeorum ardentium voces, delentur divinis laudibus flammae, glorias Dei incendia libenter admittunt. Unde effectum est ut ignis iudicio diversa merita comprobentur et flammarum

sententia boni malique noscantur. Denique obsequuntur in fornace iustis, extra fornacem persequuntur ministres; his roris solacia, illis flammaram incendia subministrant; hos foveant, illos invadunt; defendunt bonos et miserrimos persequuntur. Unde ad tutelam iustorum parum ignes operati fuissent nisi eorum hostes atrocissime devorassent.

4. Sed postquam tyrannus audit laudes, in fornacem conspicit scelestorum, miratur stupet ac tremit: miratur, inquam, iudicium suum flammaram iudicio improbatum, stupet Chaldaeorum numerum ignis voracitate consumptum, tremit in fornace quantum sanctis pueris sociatum, nec tantum suos ignibus conflagrasse suspirans quantum sibi maiora supplicia ut auctori sceleris [p. 199] irrogare posse formidat. Mirantur cuncti Chaldaei virtutum gloriam reservati, stupet gentilitas omnis ab ignibus iustos agnosci, a flammis sanctos inde incolumes reservari. Fiunt cum rege Chaldaei supplices, cuncti iam humiles ac mites *virtutum Dominum* (Ps. 23,10 etc.) venerantes: rogant de fornace iustos procedere, precantur de ignibus Dei famulos prosilire; quibus egressis accurrunt omnes, cuncti festinant: Hebraeos amplectantur ut fratres, Chaldaei mirantur ut supplices, rex ipse suscipit ut potentiores. Gaudet Babylonia Dei virtutibus honorata, exultant Chaldaei paucorum interim notitiam Dei adepti, triumphant cuncti Hebraei in alienis gentibus gloriosi et quod hostilitas sit barbara superata et quod Dei potentia sit per sanctos cunctis gentibus demonstrata.

Sermo Wiennensis 35
De Habacuch propheta
(Leroy, 199-201)

[p. 199] 1. Habacuc propheta sanctissimus loquitur dicens: *Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi* (Abd. 3,2). Quotiens coelum suspicimus, terram adtendimus, marina praespectamus, quotiens camporum prata, silvarum nemora, amoena collium, montium arbusta, animalium diversa conspiciamus, quotiens maritimos sinus, fluviorum lapsus, meatus amnium, venas fontium, densitates imbrium, tonitruum crepitus, terrores fulgorum, velaria nubium, temporum cursus † [stellarum], sidus elementorum, ortus stellarum † occasusque miramur, cum denique nosmet varietate membrorum, diversitate sensuum, rationis compotes prudentiaeque capaces ipsa ratione vel prudentia extimamus, cum alia immensa atque innumera divinorum operum in momentis omnibus retractamus, cum tantae fabricae venerantes Deum stupemus ut Dominum, miramur ut principem, praedicamus auctorem. Nec tamen in his solis admiranda coelestis est virtus, quippe cum sint alia in supernis sedibus constituta quae idem artifex formavit instituit consummavit. Quae cum cogitamus tremimus, cum sentimus suspicimus, cum mente volumus veneramur.

2. Inde semper consideratione operum istorum stupuerunt iusti, tremuerunt magni, prophetae sanctissimi expaverunt, dicente propheta: *Consideravi opera tua et expavi* (Abd. 3,2). Magnitude enim operis magnitudinem monstrat artificis et sic [p. 200] immensitas creatoris stupetur cum creaturae potentia retractatur. Nec ignota poterunt aliquando sentiri nisi notarum qualitas coeperit memorari, nec cessat factoris admiratio nisi factu<rae> cessaverit retractatio. Cogitatio enim visibilium admiratio est ignotorum. Dum enim ex notis ignota, ex visibilibus invisibilia, ex terrenis

coelestia, ex praesentibus futura penduntur, sic cunctorum artifex Deus stupendo tremore laudatur et dicatur, mentis venerando cultu † praefertur. Et tamen de operibus dicimus et haec inter se invicem comparamus.

3. Ceterum Deus qui solus est, comparatione caret quia quocum comparari debeat non est: nihil de eo dignum, nihil competens, nihil denique congruum dicitur, nisi forte solum quod supplici corde concipitur et innocenti sermone profertur. Omnis enim innocentia diserta est quia quod nata est haec est. Non enim sermonis lenocinio corrumpitur aut ingenii versutia violatur sed magna natura utitur et Deo auctore censetur. Sola est enim quae Dei potentiam novit, magnitudinem intelligit, virtutem agnoscit. Dum enim tremit obsequio, suspicit cultu, veneratur officio, sola est, inquam, quae Deum timere novit, definire non novit, nec docuit natura scrutare. Definiri enim non potest quod ignotum est, aestimari non licet quod immensum est; comprehensibile esse non poterit quod complecti humanae menti non datur. Ille enim Deum novit qui eum definiri non posse crediderit, ille agnoscit eius potentiam qui extimandi perdiderit curam. Ille enim concipit mente qui scierit comprehendi non posse. Cuius si quantitatem quaeras immensus est, si qualitatem, bonus; nec aliter enim creator poterit definiri nisi ut soli conveniat quod creaturae illi convenire non poterit. Nam si in consideratione operum divinorum expavisse semet propheta sanctissimus protestatur, quid de ipso operatore Deo poterit digne proferri, cuius opera videmus prophetam sanctissimum admirari?

4. Cesset igitur humana curiositas et omnis investigandi sensus in officia debita et in studia vivendi convertat notitiam [officia vivendi]. Facile ignotum extimat qui novit quare timeat, quia sic notum quod ignotum est redditur dum notis cultibus observatur; aut enim ignotum dum contemnit non novit, aut si novit et contemnit graviter ac moleste delinquit, et tamen Deus ignotus non est quia opere notus est. Quicquid enim de eius opere inspexeris, totum suspicis, totum tremis, totum miraris. Quia in omnibus Deus est qui operibus suis notus est. [p. 201] Te ipsum o homo, intus et foris considera Tunc vere stupebis artificem cum in te tanti operis considerans auctorem. Facile enim divinam intelliges rationem si tui intellexeris qualitatem. Ceterum nosse Deum non poteris si te ante non noris nec aliter poteris Deus quid sit agnoscere nisi tuam conditionem poteris invenire. Unde cum alterum noris, utrumque cognosceris. Nosse enim utrumque hoc est singulorum convenientiam vestigare ut tibi noveris pro conditione parendum, Deo vero pro potentia imperandum, ut alter praebeat obsequium servitutis, alter exerat imperium potestatis, ut dum homo obsequio promeretur, Dei potentis liberalitas sentiatur.

Sermo Wiennensis 36

Oportet semper orare et non deficere
(Étaix, 343-345)

[p. 343] 1. Cum beneficia divina considero, tunc caelestem benignitatem admirror, et dum quae, quanta vel qualia Dei potentia in [p. 344] nos et operata sit et operetur adtendo, in laude provocor, excitor in preces. gratiarum actiones frequento, etiam si competenter bonis tantis respondere non valeo. Tanta est enim immensitas rerum, ut ad laudandum Deam deficiat enormitas ipsa verborum. Nefas est aliquo momento silere, cum videam continuatim laudando parere non posse. Quare laudanda est opera, ut orando Deo devotio christiana non cesset. Hoc enim modo et officia debita redduntur et beneficiis caelestibus

aliquatenus respondetur. Dicente Domino: *Oportet semper orare et non deficere*, qui te redemit, quid te facere voluit demonstravit. Non vult te cessare in precibus, non vult in orationibus aliquando desistere, non vult te umquam a rogando vacare. Vult te Dominus beneficia mercari dum petis, nult orationibus commoda negotiari, vult te rogando accipere quod benignitas diserat inpertire. Quaerit Dominus occasiones ut praestet, quaerit aditus invenire ut muneret. Nec umquam oranti beneficia denegat, qui ut orantes non deficiant sua pietate instigat. Persuasioni propositae, christiane, responde, hortamenta Domini libenter admitte. Quod iubet optares si nollet; quod praecipit velle deberes si ipse Dominus prohiberet.

2. Denique considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria adtributa: orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia. Dominum precibus detinere, optare quod velis, quod desideras postulare. Quia etsi verbis silet, tamen beneficiis respondet. Libenter audit quod dolenter exposcis. Clementer perficit quod fletibus deprecaris. Maeres et gaudet, doles et laetus est. Non aspernatur quod petis, non taediat nisi forte tacueris. Ad hoc enim tuis fletibus gaudet ut possit in te inveniri quod muneret. Denique orationes semper virtutes factae sunt, ostensa mirabilia demonstrata, amanda res unde sancti proficiunt, ira avertitur, indulgentia datur. Orationibus, inquam, terra tremet, caelum respondet, [p. 345] elementa consentiunt. *Oratio*, inquam, *humiliantis se nubes penetrat et non desinit donec aspiciat Deus, et Dominus auditor delectatur*. Illis orationibus liberantur populi, prosternuntur hostes, inimici vincuntur. Numquam oranti defuit qui orare mandavit, nec deprecavit umquam negavit auxilium qui precum demonstravit subsidium. Oratio iustum provehit, peccatorem absolvet. Oratio fovet pauperem, temperat divitem; tristitiam tollit, metum avertit. In prospero laeta est, in adverso secura. Est, inquam, oratio consolatio flentium, cura dolentium, sanitas egrotum. Oratio omni sexui, omni aetati, conditioni, dignitati, omni denique merito utilitates exhibet, desideria complet, effectus ostendet. Semper commoda, semper fructuosa, semper liberalis erga eos maxime qui eam fidenter ac religiose frequentant. Nam etsi nonnumquam aliquorum differet vota, tamen instantibus fenerata exhibet beneficia. *Quicquid*, inquit, *credentes petieritis, continget vobis a Patre meo qui in caelis est* (Mt. 21,22). Haec inter ignes exhibet refrigerium, inter bestias munimentum, inter hostes praesidium. Hac demicante Moyses gloriosus pharaonem extinxit, Aegyptios delevit, Dei populum liberavit. Amalech inmanissimus hostis, eodem Moyse orante, prosternitur; cessante, erigitur; perseverante, deletur. Hiesus Navae filius occidentem solem et orientem lunam tamdiu statuit donec hostes pugnando delevit. Elias pluvias et avertit et tribuit et ignem de caelo orando elicuit. Heliseus orando excitat mortuum. Iudith Holofernem interficit inimicum. Hester Aman nequissimo ligno suspendit tyrannum. Apostolorum precibus reserantur claustra, vincula solvuntur, fores patescunt, terra imis sedibus quatitur, Cornelius auditur. Petri precibus Tabita suscitatur. Et ut compendium faciam, orat et ipse Dominus Christus, cui sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Sermo Wiennensis 37

In dictum Iohannis: Veniet hora quando veri adoratores adorabunt
(PLS 4, 705-707)

[c. 705] Innumera beneficia Dei, quibus per momenta perfruimur, si iugi meditatione animo et sermone revolvimus: inveniemus nihil tam congrue nobis, quam continuare preces, narrare laudes, praedicare virtutes, atque in eius maiestatis cultum, tota animi veneratione, obsequio, semet devovere. Sic enim efficitur, ut dum Deo gratiarum actionem, referimus: et nostra officia compleamus, et [c. 706] eius potentiam cunctis populis demonstremus. *Veniet*, inquit, *hora, quando veri adoratores adorabunt patrem, in spiritu et veritate* (Io. 4,23). Dum *veros adoratores* dicit: Esse quosdam falsos ostendit, suos veros esse monstravit. Eius est enim quod verum est: cuius quod falsum est, et non potest. Divisit substantiam, dum speciem separavit: genus ostendit, dum patrem constituit. Et ut verius dicam aemulis: cuncta consistunt: nec quicquam invenio quod contrarium habere possit. Denique separatae sunt diversae naturae. Falsum enim veritas non capit, amaritudinem dulcedo non patitur: noctes et dies diversae sunt, frigus calori non convenit. Perdet res quaeque, quod nascitur, si aliquando aemulo copuletur. Adeo et bonus malo si connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem separantur. Amicitiae enim, pares aut quaerunt, aut faciunt: diversa vero, aut voluntas, aut necessitas iungit. Caeterum nefas est iungere, quod natura copulari non patitur. *Si communicavit*, inquit, *lupus agno aliquando: sic peccator iusto* (Eccl. 13,17). Et iterum, *Nolite coniungi cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae iniquitati? Quis autem consensus Christo ad Belial? Quae autem particula est fidei cum infidei? Quae conventio templo Dei cum simulachris* (2 Cor. 6,14.16)? Igitur quoniam quod verum est, Dei est quod falsum, diaboli: enitendum est, ut christianus veritatis sectator *in spiritu et veritate Deum* adoret: ut inter *veros adoratores* constitutus, Dei sit orator effectus, ut eum clementer exaudiat Deus. *Non omnis*, inquit, *qui dicit mihi Domine, Domine: introibit in regnum caelorum: sed is, qui fecerit voluntatem patris mei qui in caelis est: ipse introibit in regnum caelorum* (Mt. 7,21) et iterum: *Quid mihi dicitis Domine, Domine, et non facitis quae mando vobis* (Lc. 6,46)? Falsos enim et simulatores veritatis author nec amare poterit, nec audire. Tunc etenim facile poterit esse verum quod dicitur: si quis in veritate constitutus est, spiritu fuerit veritatis instructus. Nam primo, veritas extra ecclesiam non est quia veritas Christus: *Ego sum*, inquit, *via, veritas, et vita* (Io. 14,6). Ergo si veritas extra ecclesiam non est in ecclesia sit constituta, necesse est. Unde quicumque in ecclesia constitutus est: in veritate iam positus sit, necesse est. Is spiritu veritatis sit instructus, quia idem spiritus sanctus non nisi sanctae ecclesiae a Deo per Christum Dominum attributus est. Unde in ecclesia Christianus exoptet, ut sanctum spiritum mereatur accipere [c. 707] et acceptum sanctis actibus retinere, ut inter *veros adoratores* et ipse possit Deum adorare. Caeterum frustra sibi quisquam aliquid a Deo promittit, qui aut extra ecclesiam fuerit, aut in ecclesia simulator existens aliter, quam debuerit, vixerit. Nec a veritatis authore quicquam merebitur impetrare, qui veritatis rebellem sese voluerit exhibere. Perdet enim orationis precem, qui dominicam spreverit iussionem. Non vult suam orationem audiri, qui putaverit praecepta Dei debere contemni. Difficilis est enim ad impetrandum aditus, cum praecedit iussionis divinae contemptus. Caeterum facile quod postulatur accipitur: si quod iubetur, instantissime compleatur: ut homo sibi beneficiorum aditus aut claudat, aut reseret: aut intercludat, aut tribuat: aut neget, aut praestet. Ut enim obsequia

pariunt beneficia, sic contemptus exhibet poenam. Nec enim poterit de contrario prosperum provenire, quia de prospero numquam potuit evenire contrarium. Denique ipsius orationis habitum recognosce. Nonne cum ostendis manus, aperis pectus, faciem erigis ad caelum, oculos attolis, totum te Domino creatori ostendis? Denique foelices manus si mundaе sunt: beatum pectus, si purum est: gloriosa facies, si simplicitate resplendet: digni oculi si concupiscentia non fuerint maculati: foelix totus homo, si totus fuerit illibatus. Foelix, inquam si nihil in eo aut cogitatio infecerit, aut actus pessimi sordidaverint. Talis spiritu et veritate praeditus, veris est adoratoribus copulatus. Hic nomine meo, quicquid pro se optaverit, impetrabit: sed et pro caeteris idoneus orator effectus, et in praesenti, quod petit accipiet: et in futuro, quod credit, inveniet. Ut quid Dei est in praesenti orator, in futuro sit caelestium regnorum possessor: ut praemiis delectetur in caelo, qui Dominum actibus piis delectavit in mundo.

Sermo Wiennensis 38

In illud Matthaei: Qui fecerit et sic docuerit
(PL 39, 2243-2245)

[c. 2243] 1. *In mandatis Dei servandis discipulus et doctor [c. 2244] aequae consentiant. Haec qui non servat horret vitam.* Cum nobis pro officio competat dicere, vobis autem conveniat pro devotione audire; quid tam necessarium tamque pertinens poterit utrisque contingere, quam ut quod religiose dicitur, et devote auditur, obsequiis competentibus teneatur? Nam si religiosa non tacere, lucrum est, tacere dispendium; quanto itaque potiora lucra poterunt provenire, cum operationis effectum monstratur, quicquid magisteriis coelestibus et discitur et tenetur? Par enim causa et dicentem et audientem constringit, ut utriusque professio factorum testificatione signetur. Et quamvis dissimile sit doctoris discentisque officium; tamen utriusque par esse debet sanctarum legum obsequium: ut iungantur factis, qui separantur officiis: copulentur opere, qui diversi sunt nomine; et quos vocabula ab invicem separant, eos observantia praeceptorum fideliter ac devote coniungat. Quare sic fit ut utriusque diversus sit actus, sed observantiae par sit necessarius in utrisque effectus, ut factorum in ambobus conspiret assensus, quibus diversus est in vocabulis sonus. In doctore enim molesta est causa, dicere, nec facere; praecipere, nec observare: in discente vero audire velle quod nolit implere; aures quidem auditui accommodare, et ab opere voluntatem avertere. Caeterum qui facit quod docet, et qui quod imperat complet, maximus in coelestibus sententia Domini declaratur (Mt. 5,19). At vero qui quod discit negligit, et qui quod audit contemnit, salutis reus existit; quia observanda contempsit, et pericula non vitavit. Amat enim mortem, qui vitae praecepta non servat; et horret vitam, qui peccata morti debita desperata mente frequentat. Ut enim per observantiam legis vita acquiritur; ita per contemptum mors a contumacibus invenitur, dicente Domino, *Si vis in vitam venire, serva mandata* (Mt. 19,17). Ita enim perfectus doctor liber est a discente, quem docuit, ut discipulus contemptor inexcusatus erit, qui facienda didicit, et contempsit. Nam et doctor e contrario gravius affligitur, et obsequentis discipuli exemplo plectitur, qui facienda aliis tradidit, quae ipse non fecit; ut nec a discipulis quos docuit potuisset ediscere; ut quibus doctrinae tradiderat magisterium, ab iisdem factorum mutuaretur exemplum. Neque enim perfectio in legum est notitia constituta, cum sit scriptum, *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum,*

sed factores legis iustificabuntur (Rom. 2,13). Neque enim, inquam, is religiosus et sanctus est, qui novit legem cessantibus factis; cum expediat facere quam docere nec facere; quia molestum est docere, et non facere.

2. *Benignitas Dei in hominem, quem minis ad se allicit et promissis, quem plectit invitus. Meretur homo ex eo quod vult. Vos amici mei estis, inquit, si feceritis quae mando vobis* (Io. 15,14). O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia redemptori; amicitiarum nobis praemia repromittit, ut a nobis obsequia debita servitutis extorqueat: ut quos nolle servire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus invitare; et quorum voluntates a se conspicit alienas, eorum mentes praemiorum liberalitatibus constituat suas! Nam unde frequenter aut invitat praemio, aut terret supplicio, nisi ut benignitatis consilio, a se formato homini consulat, redempto provideat; ut qui non terretur supplicio, invitetur praemio; et quem metus a peccato revocare non possit, promissionum benignitas possit? Cupit enim etiam nocentibus subvenire: desiderat misereri peccantibus. Si quis peccaverit, dignos fructus exhibeat poenitentiae. Invitus enim in reos vindicat, si Dei indulgentiam miserentis contemnant. Amat enim corrigi peccatores, qui in vitam **[c. 2245]** non in mortem, a principio constituit homines. Ipse enim sibi infert interitum, qui medentis Domini contemnit consilium. *Revertimini, inquit, ad me et revertar ad vos* (Mal. 3,7). Et iterum, *Nolo mortem morientis, tantum revertatur et vivat* (Ez. 18,32). Non vult Dominus in quemquam dominari mortem, non vult in poenam deduci hominem, quem in vitam constituit. Caeterum homo ipse se dignum efficit mortis, qui non paruerit legi. Odit vitam, qui divinam contempserit disciplinam. Nam cum Dominus, quid vellet quidve nollet homini demonstraret; quae observanti vitam, contemnenti afferunt mortem. Ita enim de contemptu vita non poterit provenire, ut de observantia mors evenire non poterit; ut iam homo quod voluerit mereatur, et ex eo quod meruerit iudicetur: et hoc totum in voluntate hominis consistit, qui sibi ex qualitate vitae meritum quod haberet invenit. Quare his sollicite perpensis, id est, unde salus, et unde periculum enascatur, salutis commoda diligenti observantia teneamus, et periculorum incommoda de legis contemptu ut providi caveamus: ut dum tenentes prospera et repellentes adversa in conspectu Domini invenimur, ab ipso cum omnibus sanctis in aeterna saecula muneremur. Amen.

Sermo Wiennensis 39

In illud Matthaei: Cavete a pseudo-prophetis
(PLS 4, 707-710)

[c. 707] Omnibus notum est clementissimi Dei curam in hominibus salute consistere: quippe qui semper monuerit, ut iudex: ut magister, docuerit: suos semper ut benignus, **[c. 708]** instruxit. Unde nec patrem agnoscit, qui monita tanta contemnit: nec magistrum intelligit, qui documenta salubria negligit: nec ad Deum se pertinere cognoscit, qui eius benignas instructiones aspernatur ac respuit. Qui quidem contemptor ac perfidus digne pro patre, experietur ultorem: pro magistro, iudicem: sentiet pro benigno, censorem. Nec enim poterit excusari, cui nec paterna admonitio profuit, nec magistri doctrina perstitit, nec instructio divina persuasit. Quapropter ut ingratus filius, ut contumax discipulus, et benignitatis tantae alienus, cum profanis et externis iudicabitur. At contra, qui

patrem agnoscit, qui magistrum intelligit, qui benignum Deum salutare instructione persenserit: obedientis filii, divinaeque benignitatis compos, munere aeterno gaudebit. Quare si credimus Deum providentem et iustum, et providentis iussa servemus, et iustitiam iudicis vereamur. Domini vox est: *cavete a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Mt. 7,15-16). Cavete inquit, *prophetas falsos*, ut iubeo: cavete illos, qui interiori saevitiam innocentia vestitus occultant, qui ovium indumento contexti, quod profitentur infamant: qui aliud docent, quam faciunt: aliud agunt, quam dicunt; aliud exhibent, quam vocantur. Hi sunt, qui, quod execrantur, admittunt: qui, quod prohibent, faciunt: et, quod faciendo praecipiunt, operam simulatione dissolvunt: apud quos innocentia culpatur, et culpa pro innocentia ducitur, apud quos peccare iustum est, et iustitiam exercere nephandum: apud quos promereri delinquere est, et delicta admittere promereri est. Ubi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis: ubi alia sermonibus sonant, alia operatione confirmant: ubi studium nullum est, nisi ut innocentibus poena, reis gloria tribuatur. Luporum genus quanto est omnibus bestiis inferius, tanto malitia et crudelitate deterius: quanto subtilius, tanto nocentius: quanto submissius, tanto peius. Et incessu humiles, sed actu nocentes: vestitu simplices, sed malitia saeviores: aspectu mites, sed immanitate crudeles. Et tamen lupi vigilante pastore, ovibus nocere non possunt: traditores vero nec ovibus, nec pastoribus parcant. Quod vocantur, debellant: quod profitentur, impugnant: Christianos, quod se esse nolunt, simulant, malitiose infestant. Malunt enim dici, quod non sunt: ut in aliis damnent, quod faciunt. Optant se crudeles existere: **[c. 709]** quia se non possunt innocentibus sociare. Nam si mihi scelestorum coniunctio nocere non posset, vel societas talium perniciem allatura non esset: detestarer eos, quos Domino execrabiles cernerem. Quia numquam servus cum inimico Domini, impune poterit habere consortium: nec miles cum imperatoris sui hoste, sine poena potest inire consilium. Quidvis ex rerum natura sic se habet, ut quoties bonus malo coniungitur: non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Diversitas enim rerum, numquam potest habere consortium. Ut enim paria sui semper aequalitate iunguntur: ita contraria copulari non possunt. Amaritudo numquam dulcedinem patitur, nec lux aliquando tenebris sociatur. Ut enim huiusmodi disparata, naturam sui conservant: ita coniuncta amittunt quod fuerant, dicente Domino: *non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere* (Mt. 7,18). Quare aut inserantur, si volunt salutares fructus afferre: aut secum soli remaneant, ut ariditates suas gehennae ignibus dedant. Dominus suos persecutionem passuros praedixit. *Beati*, inquit, *eritis, cum persecuti vos fuerint* (Mt. 5,10). Si qui persecutionem patiuntur, beati sunt: qui faciunt, quid sunt? Quare si persecutionem pateris, Christianus es: si persecutionem facis, inimicus et hostis. Et unde frustra tibi Christianum nomen imponis, qui Christum in eius servis persequeris? Affectas vocari, quod operum simulatione mentiris. Nomen tuum Christianum sonat: sed facta Antichristum monstrant. Sub nomine, nomen impugnas: sub lege, legem debellas. Persequeris fidem, quam te profiteri simulas: nec te iam in aliquo occultas, ut lateas: qui proditus es quod latebas. Licuit Sodomis inter inquinatos et turpes, Lot sanctissimum habitare: Christianos vero cum traditoribus morari non licuit. Licuit Israelitis in Aegypto legibus paternis insistere, quippe cum nemo eos ad illicita, nemo ad prophana figmenta compulerit. Ubi enim nasci non licuit, ibi tamen uti divinis legibus licuit. Elias sanctissimus viduae ministerio pascitur: a traditoribus vero, Dei servis

victus pabula denegantur. Babylonia pueros contaminari suis cibis non patitur: at isti familias Dei sacrilegio contaminare nituntur. Daniele leones libenter hospitio susceperunt: et isti Dei servos propriis hospitibus violenter excludunt: ut quanto in bestiis laudatur humanitas, tanto in istis crudelitas detestetur. Igitur magnum mihi compendium datum est, magna via ostensa, **[c. 710]** magna materia attributa. *Ex fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos* (Mt. 7,20). Spinae, inquit, uvas non generant: tribuli ficus non faciunt, Actus sunt qui hominis fructus ostendunt. Totum enim malitia est, quicquid in eo consistit: ut quod est, celet: quod non sit, se esse simulet: quem si intellexeris, vitas: quem si noveris, caves. Fur enim sic accedit, ut lateat: quoniam si agnitus fuerit, furari non poterit. Iudicium enim mentis, operatio est hominis: quoniam factis ostenditur, quicquid cordis secreto concipitur. Tandiu enim latet, quod intra secreta viscerum conditur, quandiu factorum testimonio comprobetur. A Deo quicquid cogitatur, innocuum est, si careat effectus: licet cogitatio mala cogitanti iam obsit, etsi alii nocere non possit. Et tamen occultum non est, quicquid conscientia teste committitur: quia etsi alterius notitiam fallit, fallere tamen seipsum non poterit. *Discedite*, inquit, *discedite inde, et exite de medio eorum, qui Domini vasa portatis* (Is. 52,11). *Discedite*, quotquot *templum Dei iam estis* (2 Cor. 6,16). Discedite, ne malorum consortio collatam vobis gratiam polluatis. Discedite, ne quod sanctificavit Christus, polluat diabolus: aut quod mundavit Deus, contamine inimicus. Invitate bonis actibus Deum, execramini in persecutoribus diabolum. Amet in vobis mentis munditiam Christus. Puritatem cordis, cum in vobis viderit, gratuletur omnipotens Deus. Ut possitis accipere quod promittitur: facite quodcumque iubetur.

Sermo Wiennensis 40

De Zachaeo

(PLS 4, 710-713)

[c. 710] Si per Christum gesta, atque in exemplum cunctis credentibus demonstrata momentis omnibus tractemus: quantum in nobis cresceret fides, augeretur devotio, incrementa salutaria promoverent? Nec quisquam cessando torpesceret, sed se exercendo augeret, ut homines toties suos profectus conspicerent, quoties ista aut mente conciperent, aut sermonibus indicarent. Nec separarentur minores exemplis, sed semet compararent potioribus meritis: ut dum sublimia factis, et **[c. 711]** potiora operibus exaequassent: sic se imitandos caeteris exhiberent, dum potiores imitari ipsi voluissent. Unde de multis unum Zachaei gestum vobiscum volumus tractare, ut ex ipso, et eius meritum, et Christi Domini liberale proferamus exemplum. Ascendit in arborem Zachaeus ut Dominum Christum ex alto conspiceret: quem, in humili per brevitatem staturae, videre non poterat. Cupit nosse aspectu, quem intuitus fuerat sensu: videre facie, quem viderat mente: contemplare praesentem, quem numquam viderat operantem: ut amor Christi Zachaei corde conceptus, etiam oculorum fuisset visibus saginatus. Quem cum in arbore Christi divina maiestas conspiceret: *Festina*, inquit, *Zachae: hodie enim in domo tua mansurus sum*. Promittit se Christus ad eius domum venturum, cuius desiderantis iam possederat animum. Venit ad Zachaeum hospitem Dominus, spiritales epulas praeparantem: ut cuius fidem solus iam noverat, eius meritum cunctis praesentibus demonstraret. Denique adveniente Domino, munus gratissimum offert: Dominum misericordiae exhibet, de suo Dominum promereri contendit.

Ecce dimidium, inquit, de substantia mea do pauperibus: et si cui quid fraudavi, quadruplum reddo (Lc. 19,1-10). Totum quod habuit Zachaeus, obtulisset: nisi fraudis damna, multiplici dispendio pensare voluisset. O mira Zachaei devotio. Substantiam suam in duas dividit partes, separat ab extraneo proprium, dividit a fraudibus suum. Discernit a bonis suis, quod fuerat alienum. Pars proficit in misericordiam, pars impenditur in rapinam redimendam. Tribuit pauperibus proprium, et fraudibus tribuit alienum. Recipiunt, qui perdiderant, quadruplum: et residuum pauperibus proficit in subsidium. Non vult enim ex fraudibus reddi multiplicata, quae tulerat: confitetur fraudes. Ipse se iudicat, ipse se condemnat. Non vult apud se rapinarum quippiam residere, ut posset iudici Christo placere. Denique reddendo, redimit crimen, condemnat factum: ut dum male quaesita restitueret et sua propria pauperibus offerret: sic ex fraudibus veniam, et ex misericordia perciperet gloriam. Unde Dominus Christus eius persequitur laudem, probat fidem, honorat eius in munere devotionem. *Amen, inquit, dico vobis: quoniam hodie salus domui huic facta est, quoniam et hic vere filius est Abrahae. Hodie, inquit, domui huic salus facta est.* Accepit domus Zachaei salutem ex fide, quam perdiderat aliquando ex fraude. Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat: conferunt dona, quod fraudes [c. 712] ademerant. Dona enim pauperum, lucra sunt animarum: ut probabile cunctis existeret, malis quaestibus damna in misericordiae operibus lucra maxima aggregari. *Quoniam et hic, inquit, vere filius est Abrahae.* Fit Zachaeus Abrahae filius, fide non genere: merito, non sobole: devotione, non stirpe. Primo, Zachaeus videre Dominum concupivit, sicut de Abraham sanctissimo ipse Dominus dixit: *Abraham pater vester concupivit diem meum videre: vidit et gavisus est* (Io. 8,56). Secundo, quia Zachaeus hospitio Dominum meretur excipere, ut excepit et pater. Sed Abraham Dominum excepit cum angelis, Zachaeus cum apostolis: Ille pergentem ad Sodomam, hic transeuntem per Iudaeam. Sed Abrahae benedictio meruit filium: Zachaeum vero in filiorum Dominus transtulit numerum. Tertio, ut omnem substantiam suam fideliter pauperibus obtulisset. Nam totum quod habuit obtulit: qui patrimonii partem reddendis fraudibus reservavit. Sed Abraham Domino, filium: Zachaeus substantiam obtulit. Ille haeredem, hic haereditatem donavit. Ille immolandum solum, quod habuit, pignus exhibuit: hic patrimonii substantiam Domino immolavit. Unde recte Abrahae filius, Zachaeus nuncupatur, dum ordinem gloriae paternae exequitur. Unde Zachaei exemplo, ad Abraham cunctis aditus aperitur: dum, quibus officiis ad eum perveniri poterat, demonstratur. Quare imitare fratrem, si vis pertinere ad patrem: fac quod Zachaeus fecit ut merearis quod meruit. Similitudo enim officiorum similitudinem exhibet meritorum. Fides Zachaeum exhibet filium quem fuisse legimus alienum. Fides, inquam, Zachaeum filium exhibet, quae Abraham patrem constituit sublimatum. Extranei per fidem admitstuntur: et proprii perfidia repelluntur. *Si filii Abrahae, inquit, essetis: facta patris vestri faceretis* (Io. 8,39). Non potest esse filius, quem diversi separant actus. Non potest patris censi nomine, qui fuerit diversus in opere. Si Abrahae es filius, imple paternos affectus. Quae fecit, comple: quae docuit, exerce: quae docuit, imitare. Unde tibi filii nomen imponis, quem nec actus nec natura commendat: quem nec fides nec genus probat: quem nec mores, nec prosapia indicat: quem paterna monita factis dissidentibus separant? In te est ut possis: quia in te est ut velis. Quia Zachaeus idcirco potuit, quia voluit: quum et alius idcirco non potuit, quia noluit. Ita enim velle efficit posse, ut efficit nolle non posse. Magna enim vis est voluntatis, quae nos [c. 713] efficit posse, quod volumus: et non posse illa, quae nolumus. Et ex voluntate nostra divinitus celebratur iudicium, ut homo

quicquid nunc voluerit eligat: et quod elegerit, ex eo ipso, iudicio coelesti subiaceat. Nec enim quisquam poterit excusari, quasi voluerit et non potuerit: cum constet eum idcirco non potuisse, quia noluit: ut nolens volentis exemplo damnetur: et volens voluntate propria, quia implevit quae voluit, muneretur.

Sermo Wiennensis 41
De arbore fici a Domino arefacta
(PLS 4, 713-717)

[c. 713] Et factum est, inquit, cum transiret Iesus, *vidit arborem fici, plantatam super viam, et esurivit, et accessit ad illam, et non invenit fructum in ea: quia non erat tempus eius*. Et maledixit eam, *et aruit: et mirati sunt discipuli eius* (Mt. 21,18-22). Si *ad arborem fici esuriens Dominus venit*, et quia tempus non fuit, idcirco in ea fructum non reperit: cur eam idem Dominus maledixit? Nec enim propriae voluntatis vitio fructum non habuit: cui desideratos fructus, temporis necessitas denegavit. Igitur si tanta vis est, ut necessitati debita imponantur, id est ut alieno tempore fructus de arbore exigantur: quanta vis esse poterit, si voluntas non exhibeat, quod debetur? Nec enim voluntas poterit excusari, cum excusata necessitas non sit. Sed primo quaerendum est: cur esurierit Dominus, qui omne animal pascit. Dehinc cur ad arborem accessit, quam fructum non habere certo certius scivit. Post, cur eam arborem maledixit: quae non sua voluntate, sed temporis necessitate fructum non habuit. Nisi enim arborem figuratam in homine acceperis: rationem istam invenire non poteris. Noverat enim Dominus exhibendi fructus tempus non esse: noverat ob hoc arborem maledici non debere, quae tunc forsitan maledicenda fuisset, si suo tempore debita denegaret. At cum Dominus Christus quicquid in seculo gessit, quicquid docuit, vel quascumque parabolas intulit: in ipsis hominem designavit, cuius causa salutis descendit, quem aut instruxit, aut monuit, aut armavit. Instruxit dum dixit: *Ecce [c. 714] ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (Mt. 10,16): monuit dum dixit: *Ne dederitis sanctum canibus* (Mt. 7,6). Armavit dum dixit: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem occidere non possunt* (Mt. 10,28). Est autem in arbore similitudo hominis, ad quem Dominus esuriens venit. Qui autem esurit in homine Dominus, quidve ab eo sibi desiderat exhiberi, nisi quod ipse Deo patri exhibuit? *Meus, inquit, cibus, et meus potus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me* (Io. 4,34). Haec ab homine exigit Christus quae ipse Deo patri exhibuit. His enim saginari certum est, quibus ab eo saginatus est pater. Haec a nobis exigit, quae se praebuisse Deo patri ostendit. Exhibe Christo, quae Christus exhibuit Deo: redde filio, quod filius reddidit patri. Inde promeretur Christianus, unde Deum promeruit Christus. Non esuriat Dominus, cum non obsequitur servus: non sitiatur Christus, dum non obtemperat Christianus. Sagina Domini, officia sunt servi. Tu operaris et Dominus pascitur: tu obsequeris et Dei filius saginatur. *Esurivi, inquit, et dedisti mihi manducare* (Mt. 25,35). Non es arbor a Deo plantata, si bonos fructus non exhibes. *Omnis, inquit, arbor non faciens fructus bonos excidetur, et in ignem mittetur* (Mt. 3,10). Non es plantatus iuxta tractus aquarum, si fructum tempore suo non reddis. *Et erit, inquit, velut lignum, quod plantatum est iuxta tractus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo* (Ps. 1,3). Non te patitur diu suo in agro consistere, si intelligi contigerit esurire. Infructuosas enim arbores in vinea sua Dominus permanere non patitur, sicut ipse in evangelio suo testatur. Ecce triennium est ex quo venio: et fructum in ista arbore non invenio. Abscinde illam.

Ut quid terram evacuat? Omnis sterilitas maledicta arescit, et cum aruerit, igni et incendio proficit. Molestus terror est: ubi securis ad radices arborum posita repentinum excidium comminatur. *Iam, inquit, securis ad radices arborum posita est* (Mt. 3,10). Audi itaque securis istius terribilem vocem: et paratam ulcisci sollicito metu formida. Aut redde, inquit, fructus, aut ferio: aut igitur exhibe, quod iuberis: aut facio quod praecipior. Non te patiar sine fructu consistere, quae infructuosas arbores iussa sum amputare. Esto itaque homo arbusculae tuae valde diligens cultor, esto huius plantationis sollicitus semper amator: ut in ea arida quaecunque sunt, abscidantur: quae infructuosa sunt, amputentur: quae fructuosa sunt, excolantur: diffusos ramos et nemorum opacitate condensos **[c. 715]** spiritali falce compone, ut abundantes fructus potius, quam luxuriam mali germinis nutrant: ramorum nimios et abruptos excessus diligenti sollicitudine reseca, ut resecati in foecunditatem fructuum exurgant. Ubertate enim germinis, non inani specie Dominus delectatur. Steriles non amat, foecundas exoptat, fructuosas diligit: aridas amputare consuevit. Sagina igitur tuis fructibus Dominum, ut suis teipse saginet. Sterilitate tua non esuriat, ne et ipse faciat te esurire. Da illi fructus, quos exigit: et accipe quos promittit. Exhibe ei quod desiderat: et accipies ab eo, quod donat. Tribue ei nascentia, quae cupit: et ipse tibi, quae cupis, attribuet. Tunc enim poteris eius fructibus saginari, si eius esuriem a te contigerit satiari. Dictum est breviter esurire Dominum. Quid sit, dehinc quod sequitur videamus. *Et accessit, inquit, ad arborem Dominus: ut fructum in ea inquireret, et non invenit quia tempus non fuit.* Diximus superius in hominem, figuram esse arboris transferendam: quum Dominus Christus nec ad arborem posset nisi figurate, alieno tempore accedere, nec ab ea fructum qui deerat, quasi desiderans postulare. Sed hoc totum, ut diximus in figura hominis gestum est, qui semper debet in sese debitos fructus habere, nec unquam sine ipsis inanis et vacuus consistere: quippe qui paratus sit semper, ut si forte Dominus ad eum venerit et fructum in eo, id est officia sancta quaesierit: inveniat eum semper paratum, semperque fructibus bonae vitae instructum, ut si eum ducere secum voluerit, beatum foelicemque adducat: aut si relinquere in mundo voluerit, in exemplum multorum relinquat. Nam quod dicit: non fuit tempus ut fructum Dominus inveniret; hominis isthic causa tractatur. Tempus enim exigendorum de homine fructuum, id est, quod Dominus iudicium celebrabit, quo singulorum actus et vitam discutiens, aut bonos fructus coelesti praemio honorabit, aut malos gehennae ignibus religabit. Tamen quia nonnumquam ante tempus iudicii, id est, hic in seculo, Dominus consuevit antevertere iudicium, ut nunc de nobis exigat, quod iudicii tempore exacturus est: monet debere nos esse paratos, id est fructibus sanctae vitae instructos, ne subito sine fructu inventos exemplo istius arboris maledicat: sicut nos ipse Dominus admonet dicens: *estote, inquit, parati: quia nescitis, quando Dominus vester adveniat* (Mt. 24,44). Non enim o homo contradicere iudici poteris: si a te modo velit exigere, quod illum nosti futuro iudicio **[c. 716]** destinasse. Tuum vero illud est tantum semper esse paratum, semper sollicitum, semper salutaribus officiis instructum, ut quocunque venerit tempore tuos actus discutere, iudicium celebrare: dignus semper existas, qui merita vitae coelestibus praemiis digna expendas. Sic aliquando diluvium inopinato demittens, genus humanum extinxit: sic Sodomitas Dominus imbri flammifero iudicavit, sic Aegyptios mersit, Amorrhaeos delevit: et nonnumquam homines diverso iudicio hic in seculo iudicavit. Aliud est enim manere vacuum nec timere Domini praeiudicium: aliud securum et laetum expectare iudicium. Dum enim securus quis in mundo incautus et segnis,

tarditatem iudicii contemnens, sine fructibus bonae vitae consistit: sic praeoccupatus a iudice, istius arboris exemplum maledictus arescit, sicut ipse Dominus in evangelio dicit: *Si autem dixerit servus ille nequam in corde suo: Tardat Dominus meus venire, et incipiat caedere conservos suos manducans et bibens cum inebriantibus se, veniet Dominus in die eius, qua nescit, et hora qua non sperat, et partem eius cum infidelibus ponet* (Mt. 24,48-50): Diximus primo quid sit esurire Dominum: deinde diximus accessisse *ad arborem eum, ut fructum inveniret in ea, et non invenit quia tempus non fuit*. Sequitur novissime, quia ipsam arborem maledixit, et aruit. Tu in hac arbore homo Dei terreris, tu instrueris, tu salubriter admoneris: tibi procurantur exempla, tibi causae aptantur, propter te istius arboris argumenta traduntur. Si habes in te fructus, serva: si non habes, repara. Haec enim aut servientes terrent, aut contemnentes perimunt: aut sollicitos salvant, aut temerarios condemnant. Tu in arbore ista consistis, tu hoc exemplo pulsaris: per ipsam tibi aut salus, aut causa, aut vita, aut poena tribuitur. Adventum Domini bonis fructibus praeveni. Constitue in via paratissimos accelerans fructus. Quod in te Dominus optat, inveniat: quod quaerit, reperiatur, quod desiderat, habeat: ne quod a Deo arbori contigit, tibi contingat. In arbusculam prolatum est iudicium, ut tibi proficiat in exemplum. Maledictio arboris tribuat metum, pariat fructum, servet iudicium. Quanto tardaverit Dominus, tanto sit sollicitior servus: quanto diutius supervenit Christus, tanto sit paratior Christianus. Maior est enim poena dilata quam subita: molestius supplicium, quod praemisso terrore differtur: gravior poena, quae ad hoc tardat, ut diutius feriat. Subita enim scito percutiunt, dilata foeneratam poenam restituunt. Non **[c. 717]** est providus servus, *quem imparatum invenerit Dominus* (cfr. Lc. 12,43). Actus tuos tu ipse discute, et quod displicuerit, corrige: rationes quas daturus es, caute compone, ut Dominus illas possit, cum acceperit acceptare. Quare tu homo, qui in similitudine arboris figuraris: esto vividus, esto foecundus, esto bonis fructibus plenus. Nullus in te ramus sine fructu remaneat, nullus locus sine foecunditate consistat. Dominus cum ad te venerit, tuis fructibus gaudeat: vel si ad te miserit, saginam in te desideratam inveniat, ut qui quod sterilem arborem maledixit, foecundam tuam arborem in aeterna secula benedicat.

Sermo Wiennensis 42
De eo qui incidit in latronem
 (PLS 4, 717-720)

[c. 717] Tunc dixit Dominus similitudinem istam ad eos: *Homo quidam descendens ab Hierusalem in Iericho incidit in latrones, qui et spoliaverunt eum, et caedem illi intulerunt, et semivivum reliquerunt. Fortuitu autem transiens per illam viam sacerdos, cum vidisset eum, praeterivit. Sed et Levites cum vidisset, praeterivit. Samaritanus vero quidam iter agens, cum vidisset eum commotus est, et accessit ad eum, et alligavit vulnera eius, infundens vinum et oleum. Dehinc imposuit eum super iumentum suum, et duxit eum ad stabulum: et protulit duos denarios, et dedit stabulario, dicens: attende illi, et curam eius habe: et si quid plus erogaveris, reversus cum fuero, ego tibi restituam* (Lc. 10,30-35). Primum hominis istius statum intellige, qui inermis ac destitutus in latrones inciderit, quique improvidus, incautusque eam viam elegerit, qua evadere praedonum manus nequiverit. Non enim posset inermis armatos, improvidus pessimos, incautus nocivos effugere: quippe cum malitia semper

armata sit dolis, crudelitate septa, munita fallacia, et ad nocendi saevitiam praeparata. Cum improvidus nec unquam possit obsistere, nec eius iacula declinare. Est igitur iste homo, quem diximus, Adam protoplastus: cuius figuram in isto loco posuit Dominus, in quem nocendi fallaciam in exordio mundi serpens operatus est diabolus, in quem fallendi virus exercuit, **[c. 718]** et malitiae suae perniciem dedicavit. Hunc itaque, immortalitate nudatum, et caelesti dignitate privatum, spoliandum tradidit suis: ut quem latro ipse nudaverat, latronibus id est, apostaticis angelis spoliandum penitus tradidisset: et quem gladio transgressionis ipse transfixerat, vulnerandum suis et pene exanimem latro ipse latronibus sociis commendaverat, invadendum. Hic itaque homo, id est, Adam iacebat destitutus salutis auxilio: iacebat confossus vulneribus delictorum, et squalenti corpore, fluentique tabo cruentus et marcens, vix exiguum partem animae spiritusque trahebat. Cui nec sacerdos Aaron transiens sacrificio potuit profuisse, nec eius frater Moyses levita per legem potuit subvenire. Samaritanus autem quidem transiens solus, dissimulare non potuit, quia propter eum a Deo patre missus advenit. Hic est samaritanus Dominus Christus, cui hoc nomen sceleratus Iudaeorum imposuit populus. Hic, inquam, Dominus iacentem vulneratumque accessit, *vinum oleumque vulneribus infudit*, vinum, inquam, id est sanguinem passionis et oleum chrismatis, quibus et delictorum vulnera curantur, et sanctificationis tutela praestatur, ut indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrismatis unctionem. Iam teguntur vulnera, quae fuerant ante denudata. Iam a caelesti medico confossa loca ligantur: ut intra semetipsa retinentia medicinam, operante medicamine pristinae sanitati reddantur. *Infuso itaque vino et oleo, ligatisque vulneribus imposuit*, inquit, *eum super iumentum suum*, id est corpori suo eum imposuit: quia Adam protoplastum (ut omnibus notum est) Christus ipse portavit. Mox enim *ad stabulum adduxit*, atque illum stabulario commendavit. Stabulum, ecclesiam accipimus: stabularium, episcopum confirmamus. Est, inquam, stabulum, ecclesia: quae itinere mundi lassatos, et peccatorum sarcinis defessos suscipit venientes: ubi post aestuantis animi perniciosos ardores, et squalentis vitae desperata solatia, refrigeria blanda et aurae delectabiles sentiuntur: ubi deposito onere peccatorum, viator lassus refigitur, et refectus salubri pascua reparatur: ubi stabularius salubres exhibet cibos, et defessis viatoribus utiles tribuit potus: ubi nec flagrantis solis molestus ardor sentitur, nec hyemis importunum frigus metuitur, sed aut temperies verna blanditur, aut spirans autumnitas reficiendis hospitibus procuratur. Totum enim quicquid contrarium, nocens, et malum est, foris est: quia intra stabulum, requies omnis salubritasque inclusa est. Ut enim extra stabulum latrones pessimi, praedonesque horrendi, et lupi graves, et immanes belvae devorandis **[c. 719]** miseris, invadendisque grassantur: ita intra stabulum, innocens agnorum copia, et ovium multiplex innocentia commoratur. Ubi si forte aut bestia nocens, aut lupus latens sub velamen ovium esse detegitur: extra stabulum confestim abiectus cum sui similibus publicatus abicitur, et abiectus extra stabuli tegmina religatur. Ad hoc ergo stabulum adduxit Samaritanus hominem a latronibus vulneratum, atque eum stabulario commendans *protulit duos denarios, dicens: attende*, inquit, *illi et si quid plus erogaveris, reversus cum fuero, ego tibi restituo*. Duo itaque denarii, duo legis testamenta sunt, id est, vetus et novum, legem et evangelium. Alterum per Moysen in praeteritum datum: alterum per Christum in evangelio consignatum. Hi sunt igitur duo denarii, quos stabularius acceptos semper debeat erogare. Hi sunt, inquam, per quos confirmantur sani, et eriguntur lapsi: curantur aegroti, et sanantur per

medicum vulnerati. Quos ita stabularius apud se non debeat occultare, ut prolatos qui audierit, non debeat recusare. Ut enim erogare iussus est, qui accepit: ita libenter sumere debet, qui sanari promeruit. *Attende*, inquit Dominus, *illi et si quid plus erogaveris, reversus cum fuero, ego tibi restituo*. Videamus igitur, quid a duobus denariis, id est, a duobus testamentis ecclesiae rector plus possit impendere, quid amplius possit in Dei populum erogare, in quo se ei Dominus promisit debitorem existere. Nam cum addi ad duo testamenta nihil possit, nec quicquam augmenti detrimentive lex sancta suscipiat: quid est ergo, quod possit plus erogare rector, quam accipit, nisi illud quod est proprii officii in quo debet eniti, ut credita eroget, accepta dispenset, aperiat obscura, revelet occulta, involuta pandat, questiones in lucem deducat, insistat fortiter, perseveret instanter? Meminerit se speculatorem esse cunctorum, ut ovibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas bestias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros instruat, erigat lapsos generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suae vitae provocet universos exemplo. Sit eius doctrina duplex: ut verbis facta convenient, actus doctrinae respondeant, in nullo sit minor qui cunctis est potior. Charismatibus fulgeat, splendescat officiis. Sit cum autoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia maior, sed ideo maior quia melior. Multiplicet populos, et eos docendo meliores faciat, quos accepit. Sic fit ut dum hominibus ferventer insistit, Dominum sibi constituat debitorem. Sed iam ut stabulum in ecclesiae nomen convertam, et de figura **[c. 720]** proprietatem iam faciam, ad te quisquis es, o Christiane convertor, qui sanitatem iactas, et te vulneratum fuisse dissimulas: qui integritate gaudes, et te aegrotum fuisse non moeres: qui te destitutum iacuisse non respicis, sed erectum in ecclesia gloriaris. Ama Christum, qui te a praedonibus liberavit: dilige Dominum qui te prostratum iacentemque erexit. Dilige, inquam, Dominum qui te in ecclesiae stabulum per semetipsum invexit, qui rectori stabulario commendavit: qui duos denarios, hoc est, legem et evangelium in eruditionem tuam erogari praecepit. Dilige, inquam, Dominum qui tibi dicit: *Ecce sanus es iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat* (Io. 5,14). Erogari tibi summam legis et evangelii libenter amplectere: impendi propter te duorum denariorum quantitatem devotione avida suscipe. Dominica summa tui causa deposita, in lucra tuae salutis proficiat: sors propter te credita, usuris cumulata consistat. Dominus enim charam tuam salutem habet; qui propter te in seculum venit, et te a nephandis latronibus liberavit. Nec difficile est iam curato dare praemia, cui difficile non fuit curando tribuere medicinam: per Christum Dominum nostrum, Amen.

Sermo Wiennensis 43

In dictum Iohannis: Vos amici mei estis si feceritis
(PLS 4, 720-723)

[c. 720] Dominus Christus in evangelio suo loquitur dicens: *Vos amici mei estis si feceritis quae mando vobis* (Io. 15,14). Dominus Christus clementer suos alloquitur: benevole atque amanter suo nomini dicatos hortatur. Vos, inquit, *amici mei estis si feceritis quae mando vobis*. Non es, inquit, *servus sed amicus* (cfr. Io. 15,15), si quae tibi mando, perfeceris. Non es famulus, sed amoris nostro coniunctus: si quod impero, instanter impleveris. Transies enim in amicum ex servo, in familiarem ex famulo, migrabis in amabilem de externo.

Non enim peccatum, servitutis tibi notam inurit, sed indulgentia amicitiae nostrae coniunxit. Nec peccata facient te iam iamque obnoxium, quae donando tibi, mecum te destinavi in regnum. Serva [c. 721] igitur amicitiae fidem: coniunctam nobis obtine charitatem. Unum sumus, uterque, par sit iubentis et facientis assensus: ut par sit in caelestibus dominatus: ut enim hominem nascendo ipse suscepi, et cunctis homini Deus apparui: ita tu homo per gratiam me suscepto, et mihi redemptori coniunctus, eris sociatus in caelo, ut nunc es mihi copulatus in mundo. Amicitiae tibi nomen indulgentia mea, non tua merita contulerunt: te amabilem mihi benignitas nostra, non tua praestiterunt officia. Nihil meruisti, et amicus es: quod mereri incipies, si fueris ut iubeo, obsecutus. Quinimmo amicus esse non poteris: nisi quod iubeo studiose ac benevole perpetraris. Ut enim ego te redimerem, ad terras descendi: ita ut tu mecum permaneras, ad me migrabis ad caelum. Nam inter homines amicitiae cum amantibus copulantur, et inter socios, dum servatur fides, perseverans societas iuvenitur. Denique tolle amorem, et amicitiae nomen sustuleris: tolle fidem, et societas inter homines non erit. Ut enim amore amicitia: ita fides societate consistit. Nec contemptor amicum, nec societas perfidum poterit retinere. Sic amicitiae caelestis fastigium sancti omnes apostoli adepti sunt. Sic in amorem Domini patriarchae venerunt: sic inquam, Abraham dum divinis iussis obtemperat, dum caelestia praecepta conservat: et Hebraeorum primo, et Christianorum postremo pater esse commeruit: ut arenae maris et sideribus caeli aequaretur duplex semen ei promissum, et utrumque pro meritis haberet effectum: dum obtineret caeleste semen per Christum, et terrenum semen deficeret per contemptum: ut fuisset aeternum, quod praecepta servaret: et temporale fieret, quod contemptui subiacuisset: ut Abrahae caeleste semen inchoaretur, ut dixi per Christum: quia terrenum cessaturum fuerat per Hebraeum. Igitur nascitur Christus Abrahae semen ex Abraham, qui ipsum fecerat Abraham. Nascitur, inquam, ex patre, qui prior genuerat patrem, ut esset filius patre anterior, esset Christus genitore prior. Nec enim nasci corporaliter potuisset, nisi genitori originem tribuisset: ut esset genitoris genitor, et suae originis fabricator. Unde Dominus dicebat Iudaeis: *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum* (Io. 5,58). Quare tu quisquis es, qui de semine Abrahae Christiane descendis: quisquis eius te filium gloriaris: si filius es, serva quod pater: si amicus, imple quod praecipit Christus: ut possis laetari de amicitia Domini, si tuis actibus eum feceris gloriari. Si quis te de [c. 722] potentibus mundi, aut heredem vellet conscribere, aut amicum sibi coniungere, aut si filium voluisset forsitan adoptare: nonne admiratus, et stupens totum illi dicares obsequium? Nonne eum omni cultu suscipere religionis parares, officia impartires, ne in aliquo ille offensus, aut voluntatem reflecteret, aut dispositionem mutaret, aut in meliorem te forsitan quod decreverat, transtulisset? Nunc vero haeredem te Deus, amicum Christus constituit: et per eundem, genitoris factus es filius. Si haeres es, testatoris delegata conserva: si amicus, amicitiae foedera inviolata ostenta: si filius es, lineamenta patris demonstra. Ut enim haeres testamento, amicus officio, amore filius comprobatur: ita Christianus esse, quod dicitur, potuerit: si quod profitetur, impleverit. Qui sibi placet de amicitia Christi, propositae respondeat conditioni. Vos, inquit, *amici mei estis si feceritis quae mando vobis*. Mandatorum observatio, amicitiae est confirmatio. Non potest quis et amicus esse, et mandata contemnere: quia qui contemnit mandatum amicus esse non poterit. Primum igitur, bene tibi Dei cultor hoc contigit. Unde tibi munus tantum venit: ut ad Christi amicitias posses accedere, ut ad familiaritatem posses Domini

pervenire? Si ex merito: nullum in nobis meritum, nisi quod contulit Christus. Si ex precibus: nullus precum effectus, nisi quas Dominus Deo patri commendat. Igitur si neque ex merito neque ex precibus neque ulla praerogativa istud nobis potuerit provenire: restat, ut benignitas Dei hoc nobis per Christum contulerit: qui pro nobis corpus induit, crucem pertulit, inferos penetravit, et resurgens victor, in caelum ascendit, et nos in amicitias suae benignitatis allegit, dicens: *vos amici mei estis si feceritis quae mando vobis*. Benignitas Christi proponit praemium, ut exigat officium: confert dignitatem, ut de nobis exigat servitutem: beneficiis provocat, ut officia nostra eliciat. Nec est gratuitum, quod servitur: quia praemium est, quo servitus ista pensatur: ut iam negotiatio sit ista, non servitus: mercatio sit, non famulatus. Per usuram enim redditur quicquid in isto tempore per nostra obsequia foeneratur: ut contemptus in homine confundatur, qui ad cultum Christi eius amicitias noluit provocari. Erubescere, igitur, quisquis es: erubescere, qui in amicitias Christi vocaris, nec obsequeris: qui familiaris diceris, nec eius mandatis intendis. Nam qui praemiis in obsequium cogeris, qui donis ad officia invitaris, quid faceres, si gratuitum subires servitium, qui tam liberale Christi contemnis imperium: ut iam qui amicitias noluit pensare obsequium, contemptus sui gratuitum incurrat **[c. 723]** supplicium? Non enim tibi servus o homo, praemiis invitatus obsequitur, aut donis et muneribus illectus quispiam famulatur: quem conditio subicit, famulatus addicit, servitus ipsa compellit: cum discreta ista separataque consistant: dum alius est Dominus, alius servus, alius imperans, alius qui dignitate suscipitur, alius qui conditione subici demonstratur. Denique tunc et homo ipse beatus est si imperanti animo serviat corpus, si virtutibus subiecta sint vitia, si contraria prosperis cedant, si bonis adversa succumbant. Unde tibi homo ex teipso nascetur iudicium, dum imperas servo, et non pares Domino: dum famulis dominaris, et dominanti ipse non servis: et tu tamen sine praemio imperas, ille tibi praemiis, quod desiderat, suadet. Denique volo, inquit Christus et amicum asciscere te: volo te familiarem allegare: volo tibi amabilem me exhibere: si tamen tu, quae mando, perficias: si quae iubeo, compleas: si quae tibi persuadeo, studiose instanterque adimpleas. Caeterum amari non potes, si contemnis: contemni non potes, si servieris: servus non eris, si parueris: amicus firmaberis, si quae mando, perfeceris. Da quod exigo: et accipe quod promitto. Imple, quod iubeo: et posside, quod dispono. Etenim quid observanti promittitur, si contemnenti praemium dispensatur? Aut quomodo poterit in obsequium quispiam provocari, si contumax indigne coeperit numerari? Tunc enim amicus dignus est nuncupari, si mandata implere contendit Christi.

Sermo Wiennensis 44

De evangelio. In dictum Iohannis: Vos amici mei estis
(PLS 4, 723-726)

[c. 723] *Vos amici mei estis si feceritis quae mando vobis* (Io. 15,14). Cum in hominem collatos considero divinos affectus, et caelestis potentiae magnificos fructus, ad postremum illi impartitos attendo: tunc et supernam benignitatem admirror, et familiaritatem Christiano concessam dum cogito, stupeo: dum tracto, haesito: dum recolo, perhorresco: ut quantum natura homo sit pretiosus, tantum sit indulgentia Christi magnificus. Nam si quoties **[c. 724]** hominis qualitas retractatur, toties redemptoris sublimitas cogitetur: invenies ex redemptore praecellentem, quem ex proprio nosti degenerem. At cum caelestia

forte iura servaverit, et quid redemptori debeat, cognoverit: invenies ita merito dignum, ut redemptione noris praecipuum: ut tunc mireris in homine Deum, cum Dei opus in hominis moribus fulgere vitae splendore perspexeris. Dominus loquitur dicens: *vos amici mei eritis, si feceritis quae mando vobis*. Pendet amicitiae Christi promissio certo conditionis obsequio. Proponitur enim familiaritatis sublimitas officiorum foenore comparanda, cum Domino certa negotiatio copulatur. Promittit enim et exigit, sublevat et subicit: benignus est, et compellit. Christiano enim divinae amicitiae promittuntur, ut ab eo obsequia debita repetantur. Famulatu dignitas quaeritur, officio sublimitas comparatur: ad amicitiarum vero caelestium potentiam, servitutis obsequio pervenitur. Invitaris amicitiarum praemio Christiane, nec inobedientiae excusari poteris: cuius officia tanto pretio expunguntur, cuius officia liberalitate tanta pensantur: ut qui obsequi sponte debueras, praemio ad obedientiam inviteris: nec te a bonis debere vacare obsequiis, cui promittit benignitas Christi praemium. Considera enim quanta sit apud Deum liberalitas, benignitas quanta: ubi obsequia sine praemio patrari non possunt, ubi servitus dignitate expungitur, et amicitia Christi officio comparatur: cui servire, promoveri est: et obsequi, sublimari. O veneranda pietas Christi, qui praemia tibi, ut obsequaris promittit: dignitatem, ut famuleris, ostendit: amicitias invitat, ut servitutem extorqueat. Suos esse, quod ipse desiderat: si modo ut patri ipse, sic Christianus obtemperet genitori. Nam si derivationem nominis a Christo Christiane sumpsisti: nec aliter tibi competit amicitiarum coniunctio, aut haereditatis participatio: nisi par fuerit officiorum communio. *Qui dicit se, inquit, in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* (1 Io. 2,6). Nam si Christus patrem obsequendo promeruit, et obsequio fastigium tantae maiestatis accepit: cur non imitaris Dominum: cur non eius iubentis servas imperium? Nam si Dominus Deo patri servivit, cur servus Domino obsequia servitutis non reddit? Non potest amicus existere, qui amicitiae iura non servat. Non potest ad familiaritatem Christi accedere, qui eius mandata noluerit observare. Adeptio amicitiarum est observatio mandatorum. Amicitia, amoris est vinculum: unde nominis ducit [c. 725] exordium. Frustra tibi amici nomen imponis, si amici iussa non feceris. Frustra nomen usurpas, si nomini per contemptum repugnas. Aut enim factis, quod vocaris, ostende: aut observantibus nominis vocabulum cede. Praevaricationis crimen incurris, si aliud feceris, quam vocaris. Quinimmo amicitias respuis Christi, qui in te et foedera pietatis contulit, et amicitiae iura donavit. Noli ingratus existere: noli dona collata contemptu sacrilego repudiare. Ad invitandum te Christus publice eum patrem exorat. *Pater, inquit, volo, ut ubi ego fuero, et isti sint mecum: et videant claritatem, quam mihi dedisti priusquam mundus fieret* (Io. 17,24). Si te quispiam dives in amicitias asciscere vellet, si in familiaritatem suam potens aliquis voluisset te charitatis vinculo copulare: quanto servitutis obsequio quantove famulatu insisteres, ne in aliquo forte offensus amicitiarum iura mutaret? Deus te in familiaritatem vocat, et eius mandata non servas? Christus te amicum nuncupat, et eum contempnere non formidas? Nec vereris, ne ex familiaritate hostis, ex amico inimicus existas: ut qui in aeternum cum Christo posses gaudere, cum diabolo incipias gehennae ignibus conflagrare? O stupenda benignitas Domini, o veneranda pietas Christi: quae ante tibi in amicitias obvenit, quam te sibi amicum constituit. Ante se tibi Dominus familiarem exhibuit, quam te in familiaritatem vocavit. Propter nos corpus induit, crucem pertulit, mortem excepit. Nos peccavimus et Christus sanguinem fudit. Nos deliquimus: et iugulari filius Dei voluit. Immortalis pro mortalibus mortuus est: innocens pro reis occisus est: iustus pro peccatoribus

interemptus est. Unde cognoscitur quantum praestabit servientibus, qui tantum peccatoribus praestitit. Tantum in te Christi amorem, quo amore Christiane pensabis? Tantos in te benevolentiae fructus, quo officio comparabis? Quicquid in eius obsequium erogaveris parum est, quicquid in eius servitute impenderis, minus est. Nec si animam dederis, aut sanguinem fuderis, compensabis. Non enim sanguis noster proderit Christo, ut Christi profuit nobis: Aut nostra passio beneficium collatura est Domino: ut Domini passionem nobis contulisse gaudemus. Sed idcirco passiones nostras libenter acceptat: quia sibi fieri deputat, quicquid propter se a nobis geri aspectat: quia nec ipsum virtute nostra sustinemus, quod patimur: pro eius potentia aggredimur, et eius victoria coronamur. Denique ipse in suis pugnat, ipse dimicat, et victoriam Christianis assignat. Nec [c. 726] poterit quisquam sibi vindicare, quod Dei est: licet Deus, quod suum est, homini dignetur adscribere. Quare caelestis amicitiae dignitas mandatorum observantia teneatur: ne noster exterminet contemptus, quod pollicetur benevolentia Dominus. Custoditio enim praeceptorum, perceptio est promissorum. Ut enim contemptor amicus esse non poterit, ita amicitiae gloria perfruetur, qui Christi mandata servaverit: sicut ipse dicit, *vos amici mei estis si feceritis quae mando vobis*.

Sermo Wiennensis 45

De Innocentibus

(PL 95, 1176-1177)

[c. 1176] Dedicatur novus ab infantibus sermo sanctis laudibus Christi. In gloriam Domini primam vocem aperiunt innocentes. Fiunt disertis laude, qui fuerunt imperiti sermone. Offerunt Domino primitias linguae, novos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim, quae per aetatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non norant. Fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone. Ostendunt laudibus Christum, suffragiis praedicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro disertis, docti sine doctore, periti sine eruditore. Agnoscunt Christum, praedicant Dominum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem Divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana cum divina tractantur, quia humana ipsa prodesse non poterunt, nisi divinorum solatio sublevetur. Necesse est enim terrena succumbere, cum coelestia praedicantur; naturalia silere, cum virtutes loquuntur. Erigitur itaque infantium aetas in laudem, quae delictorum non noverat crimen. Dignus a dignis laudatur, et innocens innocentium testimonio praedicatur. Accipiunt enim a Christo et reddunt: consequuntur et referunt. Uno enim tempore et qui dederat recipit, et qui acceperat reddit; uno inquam tempore sua Christo redduntur, dum eius laudes illi ab infantibus referuntur. Diximus de laude infantium, quod de lactentium laudibus, proferemus? quorum laudem invenire non possumus nisi eos ipsos qui laudaverint noverimus. Qui sint, ubi sint, quam laudem intulerint, quaero, qui loqui non norant. Neque enim aetas illa poterat posse quod natura non dederat, aut celebrari a talibus poterat, quod institutio denegabat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes, loquuntur sanguine quod lingua non possunt. Passione canunt quod sermone non norunt, occisi praedicant quod vivi non poterant. Nec novum quid dicitur, ut innocens sanguis aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cum Abel sanguis clamet ad coelum, aut occisorum animae ab altari vociferentur ad Deum. Contulit martyrium

laudem, quibus negaverat natura sermonem. Licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit sanguine loqui, quibus lingua loqui non licuit. Miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Sed enim occisis innocentibus istis, impleta sunt prophetiae verba dicentis: *Vox in Rama audita est fletus et plorationis, Rachelis flentis filios suos, et noluit consolari quia non sunt* (Mt. 2; Ier. 31). Rachelem primo Ecclesiae esse personam, nemo est qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat. Sed duo in illa diversa conspicio, fletus et consolationis contemptus. Si enim flevit, cur consolari contempsit? Aut quae consolari contempsit, cur flevit? Aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flesse? Cur autem flere non debuit, quae [c. 1177] consolari contempsit? aut consolari debuit, quae flere non potuit, cum manifestum sit fletus consolatione tergi? Vel certe cur indignuit flere, quae non indignuit consolationis sermone? Sed *noluit*, inquit Scriptura, *consolari quia non sunt*, id est, noluit consolari quia sunt. Si idcirco noluit consolari quia sunt, quomodo voluit flere quasi illos qui non sunt? Sed ut compendio iam diversitatum causa reddatur, conditio a matre defletur, sed spe gloriae consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationi indicit. Pugnant enim in matre affectus et fides, humanitas cum devotione concertat; plangit affectus, sed fides exultat; deflet humanitas, sed devotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. Ideo et Dominus Christus in Lazaro flevit, nec tamen ipse quoque cuiusquam consolatione indignuit, quia hominis fuit quod flevit, cum manifeste Deus sit qui Lazarum suscitavit. Sed o beata lactentium gloria! quibus pro Christo contigit dedicare martyria. Expungunt tempore uno nativitatem et mortem, ingressum et exitum, principium et occasum, ut ipsis posset tempore uno, ut dixi, contingere, et nascendo ingredi mundum, et dedicare martyrio coelum. Probat novos exercitus Christus, rudes milites designat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui aetate fuerunt coaequales; fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores. Norunt vincere, qui pugnare non norant. Existunt victoriae compotes, qui fuerant aetate imbelles. Mercantur poena martyrium, gloriam sanguine comparant, aeternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit aetas illa mortem, nec horruit. Timere enim non potuit quae timere non novit. Transmittit infantes infans Christus ad coelum, offert nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Ostendit futuram fecundissimam messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quae putavit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundo. Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quaerit occidere Christum. Praestat hostis dum nocet, beneficium tribuit cum occidit; invideret enim eorum gloriae si amaret. Sed aliae sunt terrestres pugnae, aliae coelestes victoriae. In praelio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

Sermo Wiennensis 46

De martyribus

(PLS 4, 726-729)

[c. 726] Nemo est qui nesciat martyrum glorias ad hoc divino consilio a Dei populis frequentari, nisi ut et illis debitus honor dicetur, et nobis virtutis exemplar favente Christo monstrentur: ut dum haec ita celebrari perspecimus,

cognoscamus, quanta eos gloria maneat in caelis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris: quo possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili ac fide: ut Christo praestante dimicare et vincere hostem possimus: ut parta victoria, cum iisdem sanctis in regnis caelestibus triumphemus. Quis est enim, qui eorum volens merito copulari, nisi prius constantiam eorum teneat: sectetur fidem, imitetur virtutem passionis, eorum gloriam paribus vitae liniamentis aut inveniatur, aut exquirat? Qui etsi martyrio par esse non possit: tamen muneris tanti dignitate se quisque bonis actibus dignum praebeat. Idem enim clementissimus Deus, qui desiderantibus suis aut martyrium praebeat, aut sine martyrio cum sanctis praemia divina restituat. Nobis namque peccata nostra officiunt: nobis, inquam, peccata nostra adversa provocant, arcent prospera, bona a nobis divina repellunt. Qui si Domino serviremus, ut par est: cuncta nobis prospera provenirent. Duae sunt enim causae in seculo, quae homini adversa important: quae adversa licet de uno malitiae fonte procedant, tamen haec nonnumquam peccatoribus et iustis aequae obveniunt: sed diversitate meriti discernuntur. Aliud enim pro peccatis affligi, aliud pro iustitia exerceri. In peccatore meritorum retributio, in iusto gloriosa de virtute certatio. Illic peccator, ut mereatur, affligitur: hic iustus pro examine [c. 727] comprobatur. Ut enim infirmatur peccator adversis, ita iustus tentationibus roboratur. Sic dimicarunt adversus peccatum sancti: sic et laborando fortiores, et moriendo victores effecti sunt. Nullus athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari. Nemo miles sine praelio hostem subiecit, nemo sine bello imperatorem promeruit. Habes Christiane competentia arma, quibus hostem expugnes: habes fortissima tela, quibus inimicum debelles. His te iamdudum Dominus per gratiam imbuat, et postmodum Apostolus Paulus armavit. Haec sunt arma quibus dimicarunt sancti: quorum virtutes diligis et victorias admiraris. Imitare Christiane, quos diligis, sanctos: et quorum virtutes frequentas, eorum vitam et instituta sectare. Esto talis, de eorum exemplo: quia et hi de superiorum, tales effecti sunt. Nec enim virtus ab eo poterit imitari cuiusquam, qui eius vitam non fuerit imitatus. Caeterum amare non est, quem imitari nolueris: et quem sectari detrectas, eum profecto amare te simulat. Habes exempla quae secteris ut vincas: quia Abel in principio ante ullius exemplum prior dedicavit martyrium, qui quidem optaret innocens in seculo vivere quam a fratre occisus in occidentis perniciem martyrium dedicare. Cain enim nec innocentiam naturae servavit, et pietatis iura in caede fratris corruptit. Perpetrat scelus quod nec ipse sciebat admittere nec frater noverat praecavere. Gerit diabolus totum, qui iam parentes fecerat peccatores. Gerit, inquam, diabolus totum: sed consentit Cain hosti, quem de parentum casu debuerat execrari, ut uterque reatus crimen incurreret, et diabolus, qui parricidium suasit, et Cain qui assensum persuadenti diabolo commodavit. Solus autem Abel sanctissimus inter fratrem et diabolum, inter parricidam et hostem, inter persuadentem et factorem purus atque integer perseverat. Fit enim Abel innocens, gloriosus sacerdos et victima, immolator: hostia, antistes et holocausta. Ut enim sancte atque innocenter Deo hostias immolabat, ita sancta atque innocens hostia Deo summo effectus est. Necnon et Iacob sanctissimum innocentem et iustum Esau reprobis impie atque crudeliter minatur occidere: quod quidem facinus etiam ipse compleret: nisi ad propagationem paterni seminis eum Dominus reservasset, sicut idem Esau loquitur dicens: *Appropinquet dies mortis patris mei: ut ego occidam Iacob fratrem meum* (Gen. 27,41). O nepharium scelus venenato ore prolatum. Ut fratrem occidat, patri mortem exoptat. Bis in una causa delinquit, [c. 728] et

dum optat obitum patris, et dum disponit parricidium fratris. Non intelligit miser se gemino ac duplici crimine detineri: non intelligit, inquam, utrumque scelus a se sua iam professione compleri. Nec considerat iudicio Dei se perditum, nisi et hoc quod mente conceperat, suis sermonibus indicaret: ut malitiam, quam Dominus in eo reprobaverat, sua professione expromeret. Denique Iacob fugae consilium invenit, ne immoratio sui fratrem faceret parricidam. Cuius quidem peregrinationis angustias, tribulationes, et metus, ita Dominus gubernavit, ut in ipso durrissimae servitutis obsequio augeret patrimonio, locupletaret fide: et quod est amplius, per visitationes et divina colloquia, angelicaque luctamina, sua eum benignitate donaret. Quid Ioseph persecutione fratrum, quid David Saulis regis atrocissimo metu, quid prophetarum, apostolorumque sanctorum chorum Iudaeorum odiis, aut afflictos, aut iugulatos enumerem? Quis enim sanctorum in seculo, non aut persecutionem perpessus, aut ab inimicis est iugulatus? Nulli est dubium inimicum esse seculum sanctis Domini. Vox est ad suos dicentis: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Io. 15,20). Et rursus addit dicens: *Si de seculo essetis: seculum quod suum esset, amaret. Sed quia de seculo non estis, et ego elegi vos de seculo: propterea odit vos seculum* (Io. 15,19). Et rursum, *Vos plorabitis et plangetis, seculum autem gaudebit. Vos tristes eritis, sed et tristitia vestra in laetitiam veniet* (Io. 16,20). Timenda sunt Christianis praesentis seculi gaudia: et optanda pro devotione moestitia, quae caelesti laetitia repensetur. Pro amore Dei, odia humana optanda sunt: pro dilectione Christi, inimicorum affectatio appetenda. Nemo enim amatur a mundo, nisi qui odio fuerit Christo: nec diligitur a seculo, nisi qui execrabilis fuerit Deo. Seculi est enim, quodcumque laetatur: Dei est quod pro iustitia affligitur. Inimici sui amicum nemo in amicitias sumit, nec qui amico inimicos esse voluerit. Nemo adversarium fratri, familiarem sibi arrogat, nisi qui germanitatis iura violare aemulo livore desideret. Hosti Domini sui servus numquam famulatur, nisi a Domino atrocissima severitate vexetur. Nemo miles ab imperatore extraneo stipendium accipit: sin autem illum cui militat laedit. Quid agis Christiane, si Domini hostem amicum habueris? Quid agis, inquam, si dilexeris seculum, salvatoris Christi hostem pariter et inimicum? Quid agis, inquam, si amaveris mundum, qui Deum tuum inimica crudelitate peremit? Aut enim eris servus acceptus, si [c. 729] Domini tui inimicum fueris detestatus: aut si eius amaveris inimicum, eris ipse a Domino alienus. Quare aut oderis inimicum, necesse est, si Domini tui volueris esse charissimus: aut si eius amaveris inimicum, cum eodem in die iudicii mulctaberis.

Sermo Wiennensis 47

De martyribus quod aut imitandi aut non laudandi sunt
(PLS 4, 738-740)

[c. 738] Qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iustitiam imitetur: quoniam quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet si laudat, aut laudare debet si imitari detrectat: ut qui alium laudat, laudabilem se reddat, et qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitae sanctitate reddatur. Nam si propterea iustos fidelesque diligimus, quod in ipsis iustitiam fidemque suscipimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt. Neque enim difficile nobis est quod ab ipsis geritur imitari, cum sine praecedenti

exemplo ab antiquis talia gesta conspiciamus: ut non ipsi aliorum aemuli redderentur, sed aemulandae virtutis seipsos nobis praeberent exemplum: ut dum nos ex ipsis et ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper servis in ecclesia sancta laudetur. Unde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens transfertur, iustus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur, Iesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur, apostoli discipuli Christi credentium magistri habentur. E quibus eruditi confessores fortissimi pugnant, martyres perfecti triumphant, et Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnae, gloriosae victoriae. Unde tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in praelio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce. Pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris, cuncti pugnarunt, hac conditione universi vicerunt, hac militia omnes triumpharunt. Denique considera praesente Deo te cum hoste pugnare, favet ille ut vincas, favet ut obtineas. Cum pugnas adest, cum dimicas praesens est. Tantum enim virium de eius praesentia concipis, **[c. 739]** quantum inimico debilitatis accedit. Tu erigeris in virtutem, hostis incidit in debilitatem. Tibi arma divinitus ministrantur, illi malitiae tela franguntur. Tibi conspectus Dei virium adhibet incrementa, hosti praesens maiestas adimit nocendi venena. Tibi angeli applaudunt, illi formidinem adhibent. Tibi enim fortitudo tribuitur, illius malitia infirmatur. Quibus tu foveris, ille opprimitur: quibus tu erigeris, ille prosternitur. In tua pugna Dominus concreditur, Dominus dimicat, Dominus praeliatur, et victoria tibi adscribitur. Certamen tuum Dei certamen est, praelium tuum Christi est praelium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tua virtute devincas? Prende arma, procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille qui vinci non novit. Non potest imperatorem promereri qui hostem a se noluerit superari. Non potest regi esse acceptus, qui hosti fuerit lenocinatus. Nec enim hostem poterit vincere, nisi qui atrociter voluerit dimicare. Victoria militis, peremptio est hostis, et peremptio hostis, gloria est imperatoris. Denique in certamine Christiano, aut superstes miles prostrato hoste beatus de praelio redit, aut hostem victor moriendo devincit. Foeliciter enim vincit, qui post victoriam vinci non novit. Foeliciter vincit qui et diabolum et mundum post victoriam dereliquit. Foeliciter vincit qui proficiens e mundo diabolum quem in praesenti devicit, in futuro cum Domino iudicabit. Alios enim post unum certamen ad alias palmas Dominus servat, alios consummato martyrio iam coronat. Alios victores retinet in exemplum, alios iam perfectos transmittit ad caelum. Alios frequenter desiderat videre certantes, alios passione iam meritos imponit regnis caelestibus triumphantes: ut imperatoris Christi ab omnibus dignatio collaudetur, qui in suis et semel et frequenter hostem devicit, et quemlibet quomodo pugnare viderit, munerabit. Tantum contra hostem exercitetur animus, exerantur artus, devotio praeparetur, ut procedens miles ad bellum, vel primo praelio coronetur, vel frequentibus trophaeis palmarum numero honoretur. Sic dimicarunt, quos diligere Christiane consuesti: sic praeliati sunt, quos semper amasti. Denique tres pueri in Chaldaea Barbari regis dum terrores despiciunt, formidines calcant, minas contemnunt, sic eundem regem cum suis ignibus devicerunt (Dan. 3,13-97). Daniel quoque cultor Dei, amator iustitiae, veritatis defensor, dum in asserendo Deo regis edicta contemnit: sic et leonum rabiem vicit, et de inimicorum **[c. 740]** interitu exultavit (Dan. 14,30-40). Petrus et Ioannes apostoli ad orandum Deum hora

nona Salomonis templum ascendunt, claudum curant, virtutem faciunt, quinque milia hominum praedicando acquirunt (Act. 39,1-26). Unius cura multitudinis salus efficitur. Unus enim curatur, et multi salvantur. Unum membri vitium in homine uno corrigitur, sed plurimorum utilitates operante Domino reparantur. Unius debilitas curatur, sed multorum salus acquiritur. Vexato sanitas redditur, sed pravitas in obduratis corrigitur. Ascendunt apostoli Dominum depraecare, sed preces claudi non poterant aspernari. Praeveniuntur precibus preces, rogantem claudum rogaturi ante audiunt, quam praecentur: nec permittit claudus orare illos quos petit, nisi prius acciperet ipse quod optavit: ut ante ab eis quod voluit impetraret, quam ipsi a Domino quod volebant expeterent. O gloriosum apostolorum meritum, qui ante in templo operantur, quam ipsi Dominum deprecentur: ante virtus ostenditur, quam oratio ad Dominum praemittatur: effectus preces praeveniunt, virtutes desideria antecedunt: nec expectatur ut vota ad Dominum praemittantur, quia Dominus ipse ante efficit, quam rogetur. Interea claudus aliud petit, et aliud accipit: aliud postulat, et aliud impetrat: aliud cupit accipere, et aliud a Domino meruit impetrare. Postulat elemosynam, et sanitatis accipit curam. Petit aliquid ad victum accipere, et integritatem corporis meruit recuperare. Quod petis, inquit Petrus, non habeo: sed illud dabo, quod ex gratia Christi redundo. *Argentum quidem et aurum non est mihi, quod autem habeo hoc do tibi* (Act. 3,6). In nomine Domini Iesu Christi, surge et ambula sanus. Sanctissimus Petrus nihil sibi de facto, nihil de opere, nihil de virtute adscribit: sed totum illi adsignat, per quem meruit quod implevit. Denique cura, ut dixi, unius claudi negotium geritur, multitudinis unus sanus efficitur, et plurimorum utilitati consulitur. Adeo mirantur cuncti virtutem, stupent factum, honorant Deum, quinque milia credunt in Christum, ut et claudi desiderium et apostolorum meritum et benignitatis Christi in multorum salutem probaretur exemplum.

Sermo Wiennensis 48

Quod oculus non vidit

(Leroy, 201-204)

[p. 201] 1. *Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus his qui diligunt eum* (1 Cor. 2,9). Si duo ista leges et praemia, praecepta et munera, iussa et dona christianus expendat, hoc est si quod lege praecipitur et quod praemio destinatur, quid quale sit adsidue christiana <pietas> denuo meditetur, inveniet multo facilius esse quod praecipitur quam est illud quod praemio destinatur. Primo quod praecepta cuncta narrantur, praemia vero narrari non possunt; secundo, quod quicquid praecipitur praesenti substantia licet fragili compleatur, quicquid autem promittitur nisi eadem substantia resurrectione reparata frui non datur. Ita enim praesens substantia nunc poterat divina iussa perficere ut promissa praemia eadem substantia non valet contractare ut iam ex distantia substantiarum comprobetur distantia rerum et noscatur multo facilius esse quod praecipitur quam est illud quod in futurum destinatur, sicut scriptum est: *Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus his qui diligunt eum*. Ignotum est quod promittitur, inauditum est quod paratur, suspicari non potest quod sanctis omnibus destinatur. Maiora sunt praemia quam merita, officium munere vincitur, donis obsequia superantur; nec, homo, meruisse poteris praeiactare cum suis gloria <...> cuius dono efficitur ut munereris.

[p. 202] 2. Cave pelagianum errorem! Primo tuum est quod venis, sed donum est quod vocaris. *Venite ad me*, inquit, *omnes qui laboratis et ego vobis requiem dabo* (Mt. 11,28). Tuum est, inquam, quod venis, sed donum est quod vocaris, tuum est quod certas, tuum est quod dimicas, sed ille vires exaggerat, fortitudines donat, victoriam subministrat. Ut velis, tuum est, ut possis, illius. Contra apostolum gerimus! Ille enim, ille ait: *Deus est qui operatur in nobis velle et posse* (Phil. 2,13). Non enim cum remunerationis tempus adveniat dicere quispiam poterit suo merito dona talia meruisse cum tanta sit immensitas nostrorum munerum quantum gloriae non fuerit meritum et cognoscantur talia esse donorum coelestia praemia qualia sua quisque non noverit merita. Maxime quia ipsa merita in hominibus defuissent nisi divina pietas conatus hominum adiuvisset. Ergo si merita ipsa sine adiumento coelesti esse non possunt, quomodo sibi praemiorum quis poterit adsumere gloriam cum mereri ipsum non sit conantis hominis sed sit Christi Domini iuvantis? Aut enim in amorem Dei chrisdanus extenditur dum praemiorum enormitas non narratur, aut, quod est verius, tanta vis est praemiorum ut et verba ad narrandum deficiant et mortalium sensus ista non capiant. Immensitas enim praemiorum diligentias exigit officiorum. Ceterum tunc ista dabitur nosse cum adeo dabitur possidere; tunc poterimus ista conspicere cum frui dabitur posse.

3. Provocaris muneribus, Christiane; quicquid feceris parum est, quicquid exercueris minus, quantascumque de te vires exegeris, qualescumque conatus ostenderis, minores quia qui te ad praemia provocat Deus; quod mereris non dicitur, quod accipies non narratur; quicquid te mereri putaveris, leve est; quicquid te accepturum extimaveris, facile non potest eius rei narrari qualitas, cuius stupenda apparebit immensitas. Tantum in nobis fulgeant merita, tantum nostra niteant facta, actus nostri nos dignos exhibeant, sanctam vitam mores ostendant, immaculatos et puros praemia promissa suscipiant; vitia virtutibus edomantur, voluptates abstinencia devincantur. Quoniam etsi magnitudo praemiorum nostra superaverit merita, etsi munera nostris actibus fuerint potiora, tamen quia vis, quia optas, quia cupis expungeris, etsi praemia meritis aequare non possis. Ceterum peccator et impius ubi est, quando praemiis sanctus et integer minor est? *Non sunt*, inquit, *condignae passionis huius temporis ad superventuram claritatem quae revelabitur in nobis* (Rom. 8,18).

4. Denique cogita quisquis es sollicite salutis causas expende si diligentibus destinantur, maxime cum scriptum sit: *Maledictus homo qui negligenter egerit res Dei* (Ier. 48,10). Si enim diligens ingenti praemio munerabitur, negligens contra supplicio destinato plectetur. Nec enim poterunt diligentes despici cum impii coeperint condemnari. Ut enim praemiis diligens invitatur, ita negligens supplicio destinatur. Quare placeat tibi benignitas Dei; dementia Domini etiam [p. 203] ab ipsis negligentibus collaudetur, qui quod futurum est indicat, quod disposuit nuntiat, quod paravit ostentat. Tuum est iam ut ameris amare; ut diligaris diligere; ut honoreris Deum Dominum honorare. Nec enim poteris non amando amari aut negligendo diligi aut contemnendo Dominum promereri. Qualem esse circa te volueris Deum, taie illi praebe officium; qualem enim te erga se esse conspexerit, talem se tibi ipse praebebit: benignus benignum desiderat, honorificus honorificum quaerit, dicente eodem Domino: *Ecce*, inquit, *qui honorificat me, honorificabo eum et qui contemnit me contemnetur* (cfr. Lc. 10,16).

5. Sed videamus qui sunt *qui diligunt Deum*, quibus tam magnum destinatum est praemium. Sine dubio idem diligunt qui amant, idem amant qui colunt, idem colunt qui mandata Domini venerantur et servant, ut summa

dilectionis in observantia constituta sit legis, dicente Domino, *Si me diligitis, mandata mea servate* (Io. 14,15). Ut digne his inaudita et ignota praemia destinentur qui, dilectione Christi possessi, Deum fuerint in eius legibus venerati ut diligens Deum observator sit legum, negligens vero contemptor sit mandatorum, ut recte scriptum sit: *Maledictus homo qui res Dei egerit neglegenter* (Ier. 48,10), benedictus vero sit qui leges eius observaverit diligenter, quibus dicturus est ipse Dominus: *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi* (Mt. 25,34). Et iterum contra: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum quem paravit pater meus diabolo et angelis eius* (Mt. 25,41).

6. Cur suscipis nomen maledicti, contemptor, cur praemia despicias, cur supplicia non vereris? Cur dum te amantem contemnis, diligentem te negligis, cur tui hostis existis? Serva, contemptor, Domini viventis imperium, diligentis fratris exemplum; provocet amor Domini in salutem si contemptus adtulerat aliquando perniciem. Muta negligendi consilium et ama diligendi officium. Ante te est praemium et supplicium, tibi praeponitur poena et donum. Tum enim poteris praemia, cum diligentibus Deum te coeperis copulare. Nam si inter homines ista vicissitudo servatur, si communitate morum amicitiae foedera conservantur ut amantem te diligas, contemnentem te negligas, honorificum te honorifico amico exhibeas, quid de Domino Deo dicendum est qui potentia viget, maiestate terret, severitate cuncta permiscet? Cui pro condicione parendum est et pro beneficiis innumeris serviendum, nisi forte homines debent contemnere quae angelos constat diebus noctibusque suspicere; aut cui creatura cuncta deservit, huic homines servire non debent? Oneraris, homo, oneraris et undique periculo contemptus adstringeris; contemnis Deum cuius creaturae sumus, obsequium despicias Domini cuius beneficia tibi exhibent famulatum, nec vereris animadversoris et [p. 204] severi iudicis in te eius vocem posse proferri dicentis: Ego te manibus meis feci, ego flatum et spiritus animavi, ego possessionem mundi tuae potestati subieci, ego tibi quodammodo nec <ut> creatura deservio, in beneficiis pareo, ego te institutis cunctis observo; si nihil tibi ex meis operibus defuit, si nulla creatura tibi obsequium denegavit, cur te mihi ipsum negasti? Quid ad hoc homo, respondes, quid excusationis obtendis nisi qui condicioni parueris? Qui beneficia tributa contempseris, destinato supplicio subiungeris. Quare dum licet, dum tempus est, muta dilectione contemptum, contumaciam servitute, humilitate superbiam, famulatu arrogantiam damna ut non te contemnentium numerus in poena detineat sed beatorum coetus in gloriam coelestem excipiat.

Sermo Wiennensis 49
De principiis christiani nominis
(Leroy, 204-206)

[p. 204] 1. Christiana generositas prima sortis suae fidei, habet initia dum de mundo vocatur a Deo, dum in ecclesia Signatur a Christo, dum in coelestem gloriam destinatur a Domino. Inde efficitur ut christianus de Abrahae prole descendat quia ut Abrahae semen est Christus, ita de Christi semine nascitur christianus. Christus qui Abrahae semen est secundum carnem, secundum principalem vero originem eundem Abraham ipse ut Dei filius genuit hominem. Duae sunt enim Domini nativitates: principalis, qua ex Deo nascitur Deus, altera quando ex homine nascitur hominis fabricators <...> esse noscatur utique quia

fabricator est hominis. Ipse instituit Abraham, qui secundum carnem nascitur ex Abraham, ut ipse originem dederit patri, ipse principium tribuerit genitori ut sit Christus anterior Abraham patre, sit Dominus genitore homine prior, ut generaretur a Christo Abraham genitor, qui Christi postea fuerit procreator. Vere, inquam, christianus Abrahae germen est patris, qui salutari in ordine respondet similitudini genitoris, qui vocatus venit, qui signatus permansit, qui credens non destitit, qui fidelis et esse et vocari commeruit. Hoc Abrahae accidit patri, hoc christianae contigit soboli.

[p. 205] 2. Una est enim utriusque vocatio parentis et filii, Abrahae et pignoris, geniti et generantis, cuius actus et mores liniamenis patris † semet ostenderis † similem. Inde nostrae stirpis auctoritas, inde christiani et generositatis ordo monstratur. Hic est, inquam, christianus qui in similitudinem coelestium siderum et in stellarum fulgentium numerum a Domino Deo Abrahae destinatur in semen; non terrenus ut Iudaeus, non mundanus ut et inimicus, sed coelestis iam destinatus est christianus. Denique initio Dominus ad Abraham locutus est dicens: *Exi de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et vade in terram quam tibi praecepero* (Gen. 12,1). Prima Abrahae fides est quia Dei iussis obtemperat, qua mandata coelestia servat, qua imperia divina confirmat dum solum patrum linquit, parentes deserit, terram contemnit nec sibi carius quidquam Dei iubentis ducit imperio. Hoc et christiano credenti servatur, hoc et a fidei Abrahae filio geritur, dum terram propriam id est saeculum deserit, dum cognationem suam hoc est gentilitatis honorem relinquit, dum curiosa ingenia et superstitiosa sollemnia amore Dei contemnit, dum Dominum Deum sui genitoris genitorem et parentis parentem et suae stirpis originem novit, cui servire dignum, famulari debitum, totos arcanae mentis cultus dicandos esse cognoscit.

3. In hanc igitur terram cum ducente Deo Abraham pater venisset, tabernaculum figit, domicilium invenit, habitationem instituit, divino frui colloquio assidue frequenterque commeruit. Similiter, christianus in hanc terram, id est ecclesiam, veniens tabernaculum figit, domicilium invenit, habitationem instituit. Tabernaculum ecclesiam dicimus, habitaculum Christum Dominum nuncupamus, dicente David: aut *quis peregrinabitur in tabernaculo tuo*, aut *quis habitabit in monte sancto tuo* (Ps. 14,1)? Interea fruitur Abraham colloquio Dei, fruitur et christianus legibus Christi. Divino sermone Abraham sanctissimus vegetatur, coelesti lege christianus intruitur; ille audit, hic legit; ille primas voces de ipso excipit fonte, hic iam digestas leges avido excipit corde. Abrahae vox Dei robur est mentis, christiano evangelii auctoritas doctrina est salutaris. Nec est diversitas in utroque quia ordo patris recensetur in filiis: denique signatur Abraham circumcisione, christianus signatur in fronte; accipit Abraham signum in loco generis, accipit christianus signum Christi Domini salvatoris; illic signaculum verecundia contegit, hic in fronte honestas signum ostendit; illud tegitur, hic demonstratur; illud operit pudor, hoc demonstrat salutis splendor. Postremo circumcisio signum tribuit, non salutem; christianus vero salubriter signatur per fidem.

4. Est et alia in Abraham patre praeclara fides, qua affectum senectute iam corpus et veterosae carnis marcenti torpore iam rigens, unum in senecta filium [p. 206] et heredem magno opere exhortatum pietas divina concessit. Domine, inquit, <quid> mihi dabis? Ego enim morior sine filiis et vernaculus meus hic Damascus Eliezer quoniam mihi semen non dedisti, heres erit (Gen. 15,2-6). Et dixit Dominus ad eum: *Non hic erit heres tuus sed qui ex te exierit, ipse erit heres tuus. Aspice Stellae coeli et vide si poteris numerare eas; et vade*

ad labium maris et attende arenam eius: *sic erit et semen tuum et credidit Abraham Deo et deputatum est illi ad iustitiam* (Dan. 3,36). Duplex in Isaac filio et innumeram semen Abraham sancto promittitur, cui unum habere per centum annos semen negabatur. Unus filius quaeritur et tanta immensitas destinatur. Duplex, inquam, Abrahae semen promittitur, coeleste et terrenum, temporale et aeternum, spirituale et corporeum, christianum et hebraeum; aliud deficiens, aliud permanens, aliud initians, aliud consummans, aliud quandoque cessurum, aliud in aeterna saecula regnaturum; aliud cui terra promittitur, aliud cui coelestia destinantur, ut semen terrenum terrena possideat et coeleste semen gloriam coelestem obtineat.

5. Denique et duo testamenta utpote duobus populis destinantur, dicente propheta: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et disponam domui Iuda et domui Israel testamentum novum. Non tale quale dedi patribus eorum in monte Horeb, in die. Cum educerem de terra Aegypti. Quoniam ipsi non perseveraverunt in praeceptis meis et ego contempsi eos, dicit Dominus. Quoniam hoc testamentum quod disponam domui Iuda et domui Israel in diebus illis dicit Dominus, dans leges meas in corde eorum et in sensibus illorum scribam eas. Et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus* (Hbr. 8,8-10). Denique et duo, inquam, testamenta utpote duobus populis destinantur, vetus et novum, temporale et aeternum, lex et evangelium, ut temporale sit temporalis populi, id est Iudaei, et aeternum sit et aeterni populi, christiani. A Deo temporale testamentum cum temporali statuitur, in Deo et aeternum testamentum in aeternum cum populo permanet christiano. Nam et ipse Abraham pater unum ex ancilla habuit filium Ismael et unum ex libera habuit filium Isaac, ut ex ancilla servus Iudaeorum figurae responderet et ex libera liber christianum populum designaret, ut heres patris filius liber existeret, heres vero Ismael servus remanserit, dicente Scriptura: *Expelle ancillam et filium eius; non enim heres est filius ancillae cum filio meo Isaac* (Gen. 21,10). Unde Hebraeorum populus peccator, ut servus, etiam ipsa promissionis terra expulsus sit, christianus vero religiosus, ut liber, regna sit coelestia habiturus. Et cetera.

Sermo Wiennensis 50

De Apostolo. Propter quod rogo ne deficiatis
(Leroy, 207-209)

[p. 207] 1. Apostolus Paulus loquitur dicens: *Propter quod rogo ne deficiatis in tribulationibus meis quae est gloria vestra* (Eph. 3,13). Ipse patitur et alios consolatur. Magni patientis est animi ubi gaudentes tristes, tranquillos maestus, adflictus laetos adloquitur; ubi pugnat qui non pugnant hortatur, qui dimicans securos adloquitur et spectatores suos ne deficiant consolatur. Mutatur in contrarium causa, ut qui curari debuit curet et cui medela sit necessaria medeatur; dat adloquia qui deberet accipere, tribuit hortamenta qui debuit indigere; ne trepidant poscit, ne deficiant perit; timet aliis esse causa peccandi et glorias suas in multorum exitum procurari. Ceterum totam sui medelam et curam quam ex aliis forsitan deberet accipere, in eorum gloriam collocavit. Docet qualiter toleranda sint propria, dum in suis pericula respicit aliena; ostendit nec illos sine tentatione esse posse qui spectant, nec se aliter posse victis passionibus triumphare, nisi eos viderit tentationibus suis fidenter ac devote gaudere. Unus enim patitur sed multi tentantur, unus provocatur ad

bellum sed examinantur iudicia singulorum; unus cum hoste confligit sed conflictus ceteris de suis conflictibus tribuit. Unde non pugnantis pugna agnoscitur dum pugnans non pugnantes taliter exhortatur. Discunt et illi propria vincere cum aliena coeperunt tolerare. Est enim molestum ac miserum non patientem deficere cum patientem videas victis passionibus triumphare. Armantur hortamentis in pugnam, exemplis inter camina provocantur, discunt ut doceant, docentur ut moneant, ut ex uno multi, ex multis infiniti proficiant ut dum exemplis exempla et documentis documenta non desunt, sic Dei populo cum magisterio tolerandae tentationis auctor diabolus devinciatur et triumphator Christus per omnia gloriatur.

2. Interea gloriosus apostolus Saulus suscipit geminum in tentationibus bellum, dupliciter cum hoste confligit, certamen proprium dispertit in duo: nunc dimicat cum passionibus propriis, nunc defectus metuit fratris; pugnat cum tentationibus virtute, cum fratribus prece. Et tamen fit levius quod patitur quia gravius est quod timetur; fit et in illis tranquillitas ipsa tentatio, ut utraque iam partes suas pugnantes obtineant, ille ob tentationes illatas devincat, isti autem tentationibus eius non deficient. Pendet utraque pars, [p. 208] in utraque dat pugnans non pugnantibus legem, qua certent immolantes; bellum ostendit ut cum esset † quod liberet devincere † ne timor vulneret, ne pavor infestet aut patientis affectus debilitet et fiant sine pugna victi, sine bello prostrati; dent pugnantes suo defectu maestitiam quia non potuerunt de eius fortitudine amplificare victoriam. Omnis enim tentatio molesta est si non intelligitur, facilis si noscatur. Neque enim poterit vincere qui se nescit cum hoste pugnare. Inopinata bella <prius> opprimunt quam vindicentur; improvisa tempestas prius mergit quam noscitur; circa sollicitos furis cessant effectus, vigilantem hostis subitare non poterit; perdit enim fortitudinis nomen qui dormiendo putaverit se posse pugnare.

3. Unde danda est sollicitis opera ut omnia bellorum genera, rationes et causas intente per momenta perpendant. Nonnumquam enim ab hoste aptatur sub pads imagine bellum et sub tranquillitatis specie grave certamen infligitur. Mox qui minus sollicitus fuerit sine pugna vincatur. Adeo sollicita ac devota cautela actus suos ante factum expendat et cum expenderit, aut faciat aut repellat. Et licet frequenter iudicia humana fallantur maxime auctorem nocentiae obumbrantem, tamen recenseantur gesta per sanctum ut si bona sunt amplientur, si mala sunt corrigantur et sic actus nostri per tempora disponantur ut die gesta noctibus retractentur et tractata noctium tenebris <...> quisquam est tectus quia lumen est Deus, maxime cum et illud accedat nullum facinus esse occultum cui testis est qui commisit, nisi potuit aliquis aliquando se absente peccare. Nam etsi solitudo, parietes et silvae ad occultandum facinus deliguntur, nobis ista muta videntur, ceterum Deo suo more loquuntur; facile enim homines celat qui conscios tantos ignorat; hos enim testes adhibet factis, quibus aereus putaverit occultari. Quibus sollicite, ut dixi, ac devote perpensis, iusti et officia sancta frequentent; illos paenitentia ad veniam, hos instantia ad gloriam maiores invitet. Peccatum enim venenum est hominis, paenitentia antidotum peccatoris, si peccatum, christiane, damnasti; damna igitur peccatum, damna ne pro peccato ipse damneris, quod dominari volueris. Fugiamus peccatum quod hominem semper occidit, execrationi sit nobis quod frequenter iram Domini provocavit. Qui sanus est caveat, qui laesus est doleat. Ita enim victores cautela semper servat ut dolor amisso statui repraesentat. Semper enim pugnat qui castris coelestibus militat; qui enim hostem semel proeliando devincit, acriorem sentiet quam subegit. Ita enim proeliorum

numerus non potest enarrari; *Quod oculus*, inquit, *non vidit* et cetera (1 Cor. 2, 9).

[p. 209] 4. Sed peccatum fortasse levius videatur quod publice et a multis ammittitur; nihil leve quod malum; etsi leve, omne enim illicitum grave est. Fit quidem in comparisonem peioris leve quod factum est; † contemptum est ex mortale,† Adeo quid levius gustu, quid facilius visu, gustu quo Adam moritur, visu quo uxor Lot in salis materiam commutatur? Si tamen leve est quod mortem inveherit aut facile quod cum morte humanam substantiam commutavit. Unde maiorum pericula ex minoribus cogitentur et potiorum pernicies levioribus ponderentur; et gaudeat dilatione peccator quam videt praecedentibus denegatam. Qui meruit ad paenitentiam differri potius culpam, cum videat alios potius culparum meruisse sententiam peccatores, beatus est si recordetur, agat paenitentiam quia clemens est Deus, timeat peccare quia incertus est exitus.

Sermo Wiennensis 51

De Apostolo: Nescitis quia angelos sumus iudicaturi
(Leroy, 209-211)

[p. 209] 1. Loquitur apostolus Paulus: *Nescitis quia angelos sumus iudicaturi* (1 Cor. 6,3)? Etsi christianae dignitatis potentiam legalia promissa testantur et praemiorum coelestium glorias sanctae leges silere non possunt quominus contra bella hostis, contra diaboli pugnas, contra inimici tela Dei servus armetur, tamen christianus dum angelos iudicaturus dicitur, ardentius in certamen erigitur et fortius in victoriam provocatur. Indicatur enim dignitas ut <ad> officia provocetur; promotio dicitur, ut sollicite qui promotus est proeliatur. Reus iudici demonstratur ut cautela iudicis rei malitia devincatur. Ammonetur enim ut in se prius nunc <damnet> quod in angelis quandoque damnabit, in se nunc horreat quod in illis in futuro horrebit. Vitia vincat ut iudicet nec quisquam ipsum reorum affectet qui propterea reos meruit iudicare quia reatus causas in se ipse voluit praedamnare. Sed prius quid sit iudex breviter videamus. Est enim iudex vitiorum ultor, vindex culpae, defensor iustitiae. Est, inquam, iudex maiorum poena, reorum bellum, innocentis praesidium, cuius officio tenentur recta, revocantur nimia, temperantur excessus, naturae iura servantur; cuius naturae officii qui meminit, quid [p. 210] iudicanti conveniret possit agnosci. Iudex enim esse non poterit cui nomen culpa detraxit et eum alterius iudicio subiugavit.

2. Sed iam ad propositum revertamus. Fit igitur christianus iudex qui aliquando fuerat reus, accipit potestatem in hostem ut de victo poenas exigat victor,umat innocens de nocenti vindictam, repetat supplicium de inimico redemptus, reum puniat absolutus, sententiam proferat libertus; stet et diabolus contra in christiani conspectu, patiatur iudicem quem habuit mancipatum;umat ab eo sententiam quem fecerat aliquando captivum. Esto ergo, christiane, cautus, esto sollicitus, vigila per momenta ne diabolus te suum iudicem constitutum aliquo pacto secum faciat reum. Esto cautus ut vincas; vince hostem ut punias, eius tela ab animo vigilanter expelle, eius a corde iacula violenter exclude. Sit in meditationibus Deus, in actibus Christus, in corde spiritus sanctus. Pulset inimicus nec adeat, insidietur nec noceat. Sit hac trinitate munitus qui pugnat ut vincat quia non nisi victores angelos iudicatuos destinat qui promovet Deus.

3. Gaude et tunc laetare et cave. Gaude quia iudex es destinatus in reos, tunc quia te persequitur reus, nec tantum te laetum dignitas destinata efficiat quantum sollicitum hostilis immanitas reddat. Laetitia nostra sollicitudine temperetur; perfecta gaudia futuro tempore reserventur quia numquam acriter pugnatur quem securum facit incerta victoria. Semper vincit qui se vigilantem ostendit, numquam capitur qui est sollicitus; ne vincatur, cogitentur praemia et vitia superentur. Destinatus honor tractetur et reatus crimina repellentur. Misere enim vincitur quem constat vigilante hoste dormire. Facile certamen efficitur cum praemii magnitudo tractatur. Omnis enim labor coelesti praemio minor est nec pugnanti potest esse difficile ubi Deus in suis qui munerat vincit, qui quod hostis nefandum perdidit sanctis victoribus destinavit.

4. Sed ex praesentibus futura condisco et de instantibus futura iam cerno. Cum audio dicentem Dominum: *Ite, in meo nomine daemonia expellite* (cfr. Mc 16,17), idipsum per momenta conspicio ut contumaces spiritus flagellent iusti, torqueant sancti ipsis quoque attestantibus et eiulantibus angelis qui meruerunt non iam Deo sed per Deum ab homine iudicari. Nonne iam christianus dum torquet iudicat, dum flagellat condemnat? Unde quid potestatis in futurum merebitur cerno dum tantam potestatem in praesenti cognosco; datur daemones in praesenti torquere quos videre non datur; licet flagellare quos non licet cernere, cum licuerit et damnare. Potestas sermone exprimitur sed poena vocibus demonstratur. Iudicium praesens geritur et qui patitur non videtur, est enim occultum quod geritur et qui patitur non videtur, est enim occultum quod geritur sed manifestum est quod auditur. Reus iudicem [p. 211] cernit licet iudex reum videre non possit. Fit dissona vox utriusque iubentis et diaboli, praecipientis et daemonis, torquentis et torti, iudicantis et rei; indicat passio quod imperium est; tormenta resera quae potestas indicit, qui sentit loquitur quod Christus per hominem iudicavit. Torquetur daemon ab homine qui insedit in homine, iniuriam fratris iudicat frater christianus, christianus christianum defendit, sanus ulciscitur, laesum integer curat, aegrotum incolumem facit ut medicus vulneratum. Potuit enim qui laedebatur et ipse torquere si praecepta Christi malui[sse]t et ipse servare.

5. Sed ut potestatem christianam plena interim de potentia noscamus, rem ipsam ut oportet artius retractemus. Diximus in praesenti duas voces, id est iubentis et patientis, audiri; tertia vero inter utrosque persona quae iubenti paret ut torqueat et reum torquet ut sentiat, a vobis non debet praeteriri. Neque enim diabolus christiani iussu ipse flagellat aut torquet, ipse excludit aut fugat. Quem constat potestate censurae nonnumquam tormentis ac poenis difficulter excludi; sed angeli sancti adsunt, parent Christi imperio qui si quid christiano iubente in perniciem grassantis fuerit, imperatum exsequantur et compleant et imperatae potestatis effectus ipsorum daemonum confessione ostendant; ubi sublimis christiani gloria cernitur. Non in eo cautum quod in profanos angelos potestatem accepit sed quod ad eosdem per angelos iussu vocis dum torquet excludit. Unde Christiana futurae potestatis indicia ex praesenti monstrantur et dignitatis promissae sublimitas in isto iam tempore declaratur ut dum futura de praesentibus et de temporalibus aeterna coniectet, consideret magna ab eo exigere merita cui magna promissa sunt praemia. Servet igitur Christo fidem ut servatae fidei Christus reddat in futuro mercedem. Sic enim diabolus superatur, dum de eius illecebris nihil christianus affectatur. Cogita enim quid in angelis iudicaturus christianus: iudicabit in eis vitia quae vicit, inlecebras quas contempsit, flagitia quae superavit. Digni sunt enim a victore evicti, a sancto profani, a bono pessimi iudicari, quia non meruerunt a Deo cum sanctis

omnibus munerari. Adeo ista praemia proposuit Christus ut victor accipiat christianus quod victus perdidit diabolus et diabolus mereatur tormenta suscipere quae per Christum meruit christianus evadere.

Sermo Wiennensis 52

De Apostolo id est De fide et spe et caritate
(PLS 4, 729-733)

[c. 729] Apostolus Paulus loquitur dicens: *Manent, inquit, tria ista, fides, spes, charitas: maior autem his est charitas* (1 Cor. 13,13). Haec ergo tria decurrenda sunt nobis, et singillatim pro viribus demonstranda. Dumque quantum valeant, investigamus: singula nobis quemadmodum exercenda sint, noverimus. Primum igitur nobis definienda est fides. Est enim fides origo iustitiae, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum. Nullus unquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura credulitas: qua ad Deum accedimus, qua praeceptis insistimus, qua expiata mente Dominum veneramur. Haec excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc, qui tenet, foelix est: qui deseruerit, miser. Haec in ecclesia signa ostendit, virtutes exercet, charismata complet. Haec amplexanda nobis est semper, haec mentis virtute tenenda. Per illam enim, venimus ad Christum: per illam, pergimus ad Deum: per illam, properamus ad caelum. Hac gubernatrice Noe diluvium navigavit: per hanc Abraham et benedictionem meruit, et filium in senectute suscepit. Per hanc ex Sodomitarum interitu, Lot sanctissimus liberatus, Moyses electus, David protectus, tres pueri de incendio erepti, Daniel a leonibus liberatus. Est, inquam, fides pactum cum Deo, cum Christo placitum, consignatio promissorum. Denique quoties ad istam fidem acceditur, et pactum inter hominem et Deum firmatur: tunc homo Deo se credere profitetur, et a Deo homini pignus quoddam spiritus sancti tribuitur. Teneris igitur christiane, et tenes: aliud a Deo accipis, aliud Deo promittis. [c. 730] Non debes placitum destruere, cuius te pignus conspicias retinere. Nam si inter homines semper pacta servantur, et quicquid inter socios aliquando placuerit, inconcussa fidei firmitate tenetur, ne sit violatae fidei reus, qui aut placitum solverit, aut pactum ruperit, aut socialem conventum perfida calliditate mutaverit: quanto tenacius firmitusque servandum est, quod cum Deo contrahitur, quod cum Christo initur, quod in spem promissorum caelestium copulatur? Homines enim inter se nonnumquam aut falluntur aut fallunt: Deus autem ab homine falli non poterit. Quicquid promiseris, exigit, quicquid voveris, inquirat: adeo ut cum iudicii venerit dies, et singulorum pacta vel sponsa recitari iubente Domino coeperint: aut servatae fidei praemium, aut violatae supplicium tribuetur. Ut enim ipse fidelis est reddendo, ita fidelem exigit de promisso. Talem hominem quaerit erga se semel Deus existere, qualem seipsum homini desiderat exhibere. Ego, inquit Dominus, promissa non muto: ego quod destinavi, attribuo. Ego tibi praemia, quae sponendi, dispenso: si tamen, quod credis, exhibeas: si fidem, quam polliceris, adimpleas: si actibus sanctis, quod voveris, ostendas. Caeterum si aliud gesseris, quam voveris: et fidei nomen perfida voluntate dissolveris: non modo praemiorum compos esse non poteris, sed et destinato supplicio necesse est subiungaris. Aliud est enim esse, quod diceris: aliud dici, quod non sis. Non potest ad praemium tendere, qui professionem noluerit adimplere. Nec accipere poterit, quod promittitur nisi ante impleverit, quod iubetur. Dictum est igitur licet pauca de fide. De spe

quoque aliqua prosequamur. Spes est futurae pollicitationis religiosus assensus, promissae gloriae devota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes est, inquam, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, destinatum praemiorum tempus, futura expectatio meritorum. Quae duo, id est, fides et spes, ita certa sibi mutua vice coniuncta sunt: ut altera sine altera stare non possit. Quicquid enim fides credendo acquirit: hoc spes sustinendo praesumit, dicente propheta: *Et si tardaverit, sustine eum, quoniam veniens aderit, et non tardabit* (Abd. 2,3). Noli a spe proposita Christiane desistere, noli sustinendi gloriam perdere, noli rebellanti animo claudicare. Salomon enim concionatur et dicit: *Vae his, qui perdiderunt sustentiam, et diverterunt in vias pravas* (Eccl. 2,16). Et quid facient, cum inspicere coeperit Deus? Noli, inquam, a spe proposita Christiane **[c. 731]** desistere, noli a coepto itinere declinare: festina, quo tendis: quo properas, perveni. Currentis gressus non retrahat inimicus: festinantis animum spes ipsa perducatur ad Deum. Veloces sequere, tardiores attrahe, pigros desere, fortiores fortiter imitare. Tu alios provoca, te provocent alii. Cito enim quo desiderat, pervenit, qui velociores sequitur, et veretur: ne a tardioribus transeatur. Perpende, si potes, labores et merita, sudores et praemia, cursus et regna. Nec tamen laborat, qui Deo iuvante festinat: aut onerosum aliquid sentit, cui particeps Christi existit. Exiguam sentis, sed immensum est quod mereris. Modicum pateris: sed aeternum est, quod regnabis: quamvis voluptas sit magna Deo iuvante currere, et Christo comite pergere, favente Domino festinare. In stadio terrestri unus qui prior venerit, coronatur: in caelesti vero stadio quisquis pervenerit, promeretur coronam. *Nescitis*, inquit Apostolus, *quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit bravium? Vos autem sic currite ut omnes accipiatis* (1 Cor. 9,24). Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. In stadio quidem terreno velocitas quaeritur, in caelesti vero affectus optatur. Illic festinans, hic perveniens: illic properans, hic perficiens coronatur. Nonnumquam enim festinatio fatigata deficit: foeliciter vero pervenit quem laetum iter ad destinata perducit. Fides gloriam inchoat, spes sustinendo consummat. Illa fundamentum ponit, haec ipsum hominem construit. Illa dat principium, haec Christianum perducit ad summum. Illa initia credulitatis aggreditur, haec ad consummationem virtutis meditatur. Illa quod promittitur credit: haec quod sperat iam cernit. *Videmus nunc*, inquit Apostolus, *per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc autem cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (1 Cor. 13,12). Nec enim quisquam poterit fidei fructum percipere, nisi qui spei gloriam voluerit consummare. Ut enim sine fide spes non habet firmitatem: ita sine spe fides non potest habere mercedem. Sane si fides est religionis fundamentum, et spes consummat, et perficit aedificium: quomodo apostolus dicit charitatem esse maiorem, quae sine fide et spe non potest habere firmitatem? Denique tolle fidem, et spes ubi construitur? Adime spem, et ubi charitas sublimatur? Illa enim poterunt esse maiora, sine quibus esse alia non possunt. Igitur si ita res est: cur charitati et non magis fidei Apostolus tribuit principatum? **[c. 732]** Sed ut quaestio iam dirimatur: et quod obscurum est, pateat: est fides, qua futura credimus: spes, qua ventura praesumimus: charitas, qua et Deum diligimus, et proximos honoramus. *Sive enim*, inquit Apostolus, *prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia evacuabitur: et ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (1 Cor. 13,8.9). Cessat enim fides, ubi quod creditum est, venerit: cessat et spes ubi quod speratur, affuerit. Tunc enim iam quod credatur, non

est quia quod credebatur, adest. Tunc quod sperabatur, cessat: quia quod speratum est, praesens est. Sola charitas aeterna est quia cum Deo in sanctis est: et ideo maior est. Denique nullum charisma sine charitate perfectum est, nullum donum sine dilectione aptum. Quicquid enim charismatis aut doni quisque meruerit, desertum charitate non stabit. Omnia enim quae spiritus sanctus devotis aut impartit, aut donat, aut charitate perficiuntur, aut sine charitate effectum nullum sortiuntur. Denique ipsum martyrium sine charitate impleri non poterit: licet charitas sine martyrio sola perfecta sit. Sicut Apostolus loquitur dicens: *Si linguis hominum loquar, et angelorum: charitatem autem non habeam, factus sum ut aeramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Et si habuero prophetiam et sciero omnia mysteria, et omnem scientiam: et si habuero tantam fidem, ita ut montes transferam: charitatem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam: charitatem autem non habeam, nihil sum* (1 Cor. 13,1-2). Si nec corpus ignibus traditum, et substantia donata pauperibus, nec communis sermo cum angelis, nec montes translati per fidem sine charitate effectus habere non possunt, quid charitate sublimius esse poterit, cum ipsa charitas Deus sit? Sicut Ioannes apostolus loquitur: *Deus charitas est* (Io. 4,8), ut et iam si quid comparaveris, parum sit: si quid sociaverit, minus, dum charitas Deus est: cui comparabile nihil est. Inchoatur in mundo, perficitur in caelo: quaeritur in seculo, invenitur in regno. Hic enim nec fides coepta perficitur, nec spes proposita consummatur. Esse enim fidelem charitatis est bonum: sperare quod promissum est, amare est Christum. Charitas est enim quae et fidem adiuvat, et spem sibi sociat, et utramque secum Deo muneranti assignat. Sola est, inquam, quae et fidem excitat, et spem longanimum reddit, et **[c. 733]** utrique semet sociam exhibet, et magistram. Cum ipsis ad Christum pervenit: ipsis tunc perfectione cessantibus sola in sanctis regna caelestia possidebit. Age nunc quisquis es Christiane, cum istis vive, cum istis in ecclesia flore, cum istis sancta officia exerce, cum istis in hoc mundo contra diabolum praeliare. Ipsae te perducant ad Deum, ipsae te levent ad caelum, ipsae tecum perveniant simul ad Christum.

Sermo Wiennensis 53
De misericordia sermo
(Leroy, 212-214)

[p. 212] 1. Si homo priscam sui originem noscat aut si dignitatem per Christum non modo in se reparatam sed adhuc insuper cumulatam intellegat, aut si iudicium destinatum sollicito timore perpendat, inveniet quid primo protoplastus peccando amiserit, quid postmodum misericordia christiano contulerit, quid in futurum iudicium destinatum sit, ut primo originem noscat qua factus est, indulgentiam qua reparatus est, iudicium quod destinatum est; ut hoc sollicita semper cura pertractans, primordia recenseat, praesentia teneat, futura timore sollicito pertimescat, dum cernit primum hominem peccando perisse, eundem postmodum indulgentia revivisse, quem iudicio destinatum in aeterna saecula vitae merita expectare, † unde vita † et honor cunctorum posita. Domini Christi sententia est: *Ecce sanus factus es iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat* (Io. 5,14). Gravior enim culpa post veniam, molesta est poena post indulgentiam, difficilis cura est ubi medicina contempta est, quia nec facile reo ignoscitur si ab eo frequenter iudicis severitas contemnatur; cito taediat medicus si contrarium sumat aegrotus. Ceterum gaudet se ignovisse qui

corrigit, laetatur adhibuisse curam qui proficit, exultat se dedisse veniam cuius terror peccandi materiam amputavit. Providus enim iudex est qui ante terret <quam> vindicet, diligens medicus putredines amputat ne totum hominem perdat; iterata culpa atrocior exigit curam, renovati vulneris fortior quaeritur medicina. Difficile enim ignoscitur quod peccandi frequentia iteratur. Dignus est indulgentia qui cogitaverit quomodo corrigan culpam; facile curatur aegrotus si ad medendum invitetur precibus medicus.

2. Et quoniam sanatis postmodum vulnera deesse non possunt, remedia sunt inquirenda quibus aut aegritudo contracta sanetur, aut iterata vulnera recurentur aut admissa peccata damnentur. **[p. 213]** Quibus medendis non nisi elimosina poterit subvenire. *Conclude*, inquit, *elimosinam in corde pauperis et haec pro te exorabit ab omni malo* (Sir. 29,15). Facile enim curatur a vulneribus peccatorum qui necessitatem curaverit pauperam et aegritudinem detraxerit hominis ut misericordiam sentiat qui exercet, et pietatem apud Deum inveniat qui proximo officia pietatis non denegat. Denique cui dare praecipitur, gaudeat quod non ea sorte natus sit ut indigeat. Sufficiat ad gloriam dantis quod alterius miseria acquirit, quod indigente paupere locuples dando existat, quod misericordia feneret Deum, quod pascat in pauperibus Christum, quod per alterius inopiam accipiat indulgentiam peccatorum. Obiurgantis Domini vox est: *Si in alieno mammona fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis* (Lc. 16,11)? Talem enim se exhibere quis pauperi debet qualem esse erga se vellet divitem si pauper ipse fuisset.

3. Ceterum dispendium magnum est si Deum de Dei dono promereri nolueris, aut cum tibi ad hoc Dominus dederit ut dispenses, tu eius delegata non serves. Rem enim suam tibi Dominus dispensandam interim commendavit et de re sua indigentibus te dare praecepit. Cur dantis iussa contemnis, cur pactum destituis, cur Dominum iubentem dare non audis? Eiusdem Domini vox est: *Si autem dixerit servus ille nequam in corde suo: Tardat Dominus meus venire, incipiat caedere conservos suos...* et cetera (Mt. 24,48). Molestum crimen est remedia oblata contemnere aut lucra promissa despiciere. Facile enim poterit pecuniam acceptam amittere qui quod accepit in lucris noluerit erogare. Quod illi qui unum talentum acceperat contigit, sicut Dominus ipse iubere monstratur: *Auferte ab eo talentum et date illi qui habet decem. Omni enim habenti dabitur et abundabit; ab eo vero qui non habet, et quod habet auferetur ab eo* (Mt. 25,28s). In evangelio quoque loquitur Christus: *Estote*, inquit, *miseriordes sicut et pater coelestis misericors est* (Lc. 6,36). Unde, *estote*, inquit, *miseriordes* ut pater. Similitudinem patris actus indicent sobolis, parentis genus filiorum demonstret affectus, adoptantis personam moribus indicet **[p. 214]** adoptatus, Misericordiam quam meruisti a patre, exerce in fratre; qui te filium adoptavit, sui te esse similem voluit. *Eritis*, inquit Dominus, *et vos perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est* (Mt. 5,48). Aut esto patris misericordia similis, aut incipies perdere quod vocaris. Similitudo operis similitudinem indicet generis, actus nomen confirmet et nomen genus demonstret. Quod contulit pater filius servet ut et filio pater promissa praemia repraesentet.

4. Patrimonium quod habes, si operaris ex eo, tuum est; si cessas, alieni; pecunia quae servatur, casibus serait; quae in misericordiam erogatur, praemium in futurum acquirit. Quid vereris Christo committere quod a latronibus vix potes reservare? Patrimonium quod tinea exterminat, quod comeditur a taberna, quod calumnia mundi et forense litigium alienat, trade Christo, commenda Deo ut ad ipsum percipias feneratum in coelo. Ut enim egere non

potest qui miseretur, ita miser est semper qui servat quod sine ratione dispereat. *Qui dat, inquit, pauperi non egebit. Qui autem avertit faciem in magna penuria erit* (Pr. 28,27). Quare aut miserendo acquire si credis, divide patrimonium tuum heredi et Christo, partire substantiam tuam Deo et filio. *Quamdiu, inquit, fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (Mt. 25,40). Quin immo esto dignus de tuo tibi aliquid tollere, de propria substantia aliqua tecum in futura saecula deportare. Quid servas heredi quod an utatur ignoras? Quid substantiam cumulas quam fortassis ingrato relinquo? Forsitan etiam illi praestabis, quicquid miserendi causa etiam de portione eius detraxeris. Quare fac primum quod iubetur, ut possis accipere quod promittitur. Non potest usuras accipere qui Deum voluerit fenerare. *Qui dat, inquit, pauperibus Deum fenerat* (Pr. 19,17). Nec enim potest divina promissa percipere qui praecepta coelestia noluerit observare, nec misericordibus poterit in gloria iungi qui non miserendo a talibus meruit separari.

Sermo Wiennensis 54

Item de misericordia

(PLS 4, 840-843)

[c. 840] Tria sunt, quae in misericordiae opere optanda sunt christiano, ut possit facere, ut velit, ut compleat. Ut possit, id est ut substantia faciendi non desit: ut velit, hoc est voluntas adsit qua faciat, quia substantia non deest qua fiat. Tertium est, ut compleat, id est, quae possit et velit sine dilatione perficiat: his enim tribus opus tantum tamque praeclarum impletur. Nam sunt qui possunt facere, sed nolunt: sunt qui volunt, et non possunt: sunt qui et volunt et possunt, sed differendo non faciunt. [c. 841] Caeterum qui potest facere, oret ut velit; et qui vult facere, oret ut possit, et qui in utroque paratus est, det operam ut misericordiam instanter efficiat, ne quod vult et potest, differendo non compleat. Est enim misericordia salutis praesidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum. Haec est quae iustos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostendit: cuius exercitium laetum efficit Dominum, placatum exhibet Christum, dum cernit subsidiis huiusmodi foveri pauperem, inopem sublevare. Haec misericordia cum a cunctis impleri praecipit, tum maxime ab his qui signati sunt, ut dent potius quam accipiant, tribuant quam sumant, donent aliis quam ipsi indigeant. Caeterum non potest ille misericordiam facere, qui possessionibus longe lateque diffusis, in confinio alium possidere non patitur, dum terminos iungit, fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem premit, vicinum excludit, et omnes circuncirca positos infestando ac persequendo depellit, qui non acquirit nisi alius flevit: lucra non condit nisi alius gemuerit, cui soli bonum est quod publicum malum est dum aut fructus servat, aut annonam captat, aut inflat pretia, aut foenus exaggerat, dum acquerendi lucra per nocendi exquirunt ingenia. Potestne talis misericordiae implere officia, cui pupillorum dulcis est gemitus, et viduarum suavis est fletus, dum praeda huiusmodi pascitur, et spoliis talium delectatur, qui dives est arca non merito; possessione non genere, nomine non dignitate? Potestne misericordia tangi, aut humanitate moveri, cuius avaritiae nec proprium sufficit, nec modum ponit alienum? Qui etsi pauperi tribuit, hoc magis deterior, si alii tollit quod alii pertineat, et esurientis pane esurientem pascit, et nudum spoliis vestiat alienis, cum scriptum sit: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est quasi qui victimet filium in conspectu patris sui* (Eccl. 34,24). Caeterum ille vere est dives qui in Deo dives est, qui magis

misericordia opulentus quam divitiis, facultates suas cum pauperibus dividit, qui locupletem se dando magis quam habendo ostendit, qui ad hoc se meminit habere divitias ut foeneretur Deo, pascat Christum, vestiatur Dominum, qui patrimonium suum non ingrato haeredi quaerat relinquere, sed per pauperes illud Christo desideret commodare, qui divitias caelo magis quam mundo commendat, qui desiderat potior esse opere quam suae substantiae facultate, qui thesauros suos ad superna transmittit, qui ad hoc vivit ut operetur, qui ad hoc operatur ut in aeternum vivere mereatur, qui viduarum [c. 842] casibus flectitur et pupillorum miseria commovetur, qui dolentium causam suscipit, et arrogantiam superbiorum abdicat. Caeterum habere nec facere, misereri posse nec velle, commendatum sibi deputet, quod per cruciatus suum ad haereditatem transferat. Nec de suo miser permittitur tangere, quod post se futuro cogitur reservare, qui sollicitius servat quam acquirit, molestius custodit quam rapuit. Suspirat enim vigilans acquirendo, suspirat dormiens reservando. Nec vigiliae laetae, nec somnus securus. Nec dies laetus, nec nox quieta est: discurrit, torquetur et gemit: et quasi illi proficiat quod acquirit, sic augere desiderat quod alii cum suo cruciatu relinquat: ut quale fuerit patrimonii pondus, talis solitudinis habeatur et cumulus. Sed dicet econtrario de mediocribus aliquis, Ego misericordiae instanter implerem officia, ego inopes pascere, egenos fovere, nudos vestire, ego pauperibus necessaria victus impenderem, nec a me inanis quisquam aut sine fructu discederet, si mihi facultates suppeterent, divitiae adessent, copiae redundarent. At cum mihi necessaria desint, cum operandi facultas necessitate habendi interdicta sit, cur mihi aut dandi sterilitas imputatur, aut miserendi cessatio succensetur? Sed audi quisque hoc loqueris, et excusandi ansas quas obtendis omitte. Nullus miser est, nisi qui misereri noluerit: quia nec quisquam misereri desiderans poterit non habere quod tribuat: nullus petentem pauperem poterit inanem relinquere, nisi qui ei noluerit commodare. Non enim misericordiae definita sunt precia, aut nisi quis multum dederit acceptabile esse quod datur non poterit, aut inopes tantum a quoquam exposcunt, quantum qui poscuntur dare non possunt, aut ex modico multum, aut de exiguo plurimum dare quispiam cogitur, cum libenter ex modico modicum attributum divina pietas gratuletur. Denique vidua Eliam ex modico pascit, et id ipsum quod habuit finire non potuit. Supremi victus dando non desunt et divitum horrea finiuntur: modicum olei erogatur nec deficit, et peccatorum apothecas penuria famis exaurit. Misericordia viduae servat quod peccata locupletum exterminant: modica divitiis maiora sunt, et divitiae paupertate viduae superantur. Ita enim et iustis alimenta non desunt, ut peccatoribus subsidia denegentur. Denique audi Domini vocem viduam in evangelio collaudantem, quae in dona Dei totum quod habuit misit. *Amen, inquit, dico vobis, vidua plus omnibus fecit. Omnes enim isti de eo quod abundavit illis, fecerunt: haec autem* [c. 843] *totum quod habuit misit* (Mc. 12,43-44). Laudatur in modico vidua, et divitum non laudantur oblata. Minimum viduae divitum opulentias vicit, et vota divitum votum viduae superavit. Divites enim ex multo modicum, vidua vero ex modico obtulit totum. Unde Dominus divitum et viduae operationes expendens, non quantum quisque obtulerit, sed quanto quis fecerit, singulorum animos et facultates ostendit, et viduam in opere perfecto laudavit. Certabat enim animo cum divitibus vidua: cum locupletibus pauper, mediocris cum opulentissimis, fide ac devotione certabat sed vincit animo, devotione certabat sed vincit animo, devotione superat, denique invenitur potior, melior conspicitur maior omnibus a iudice pronuntiatur. *Amen, inquit, dico vobis, vidua ista plus omnibus fecit.* Provocaris Christiane, provocaris, et a vidua in

certamen deducaris. Haec enim vidua quae praesente tunc Christo certavit, nunc quoque cum omnibus certat, et tamen nescierunt talem qui victi sunt, qualem nunc qui provocantur noverunt. Quare taceant steriles, aridi conticescant, infructuosi aut mutantur aut sileant: vidua quod fecit non didicit, et steriles quotidie discunt et non faciunt. Quaesivit vidua quomodo posset praesentem Dominum promereri, quaesivit quomodo posset potior divitibus inveniri, invenit causam, invenit consilium, ut quam natura fecerat pauperem devotio faceret divitibus potioem: et ne possit quisquam non habendi excusatione purgari, gratuita misericordiae inducuntur officia, ut ostendatur Dominum etiam ipsis pauperibus operandi imposuisse obsequia. Calicem frigidae prophetae porrigere, praemium prophetae promittitur: aegrotum vel constitutum fratrem in carcere visitare, Dominum visitare est, sicut ipse Dominus dicit, ut possit ex gratuitis promereri qui de substantia non potest misereri: ut iam constet pro qualitatibus hominum misericordiae non debere cessare officia, ut operantibus possint praemia dispensari coelestia: ut cum coeperint misericordes expungi et steriles condemnari, et misericors quia misertus est gaudeat, et sterilis poenas quas non speravit inveniat.

Sermo Wiennensis 55

De odio

(Leroy, 215-217)

[p. 215] 1. Iohannis apostoli vox est: *Qui fratrem suum odit, homicida est* (1 Io. 3,15). Homicidii malum summum ac principale crimen est, omni culpa praecipuum, omni scelere atrocissimum, omni peccato taeterrimum; hoc est quod hominem perimit, vitam tollit, morti addicit; hoc est, inquam, quod lege interdicitur, cavendum mandatur, fugiendum coelesti iure sancitur. Huic malo livor proximi sociatur, aemulationis scelus adnectitur, fratri odium comparatur, apostolo Iohanne testante: *Qui fratrem suum odit, homicida est* (1 Io. 3,15), ut sit iam duplex homicidii genus, alterum simultatis, alterum concepti livoris, alterum armatis in perniciem hominis, Homicidium enim nunc manu conficitur, nunc invidiae malitia perpetratur; nunc telo exteritur, nunc zeli aemulatione perficitur, nunc aperta crudelitate grassatur, nunc subtili livore in fratris exitium inrogatur. Grave est usitati homicidii malum, gravius simulatae caritatis est odium; grave est opprimere in solitudine hominem, gravius dolos publice machinari in fratrem; grave est praedonem spoliando existere, gravius praedam de fratris salute exquirere. Et tamen praedones huiusmodi a cautis facile declinantur, aemuli vero declinari non facile possunt. Homicida enim aut noctem eligit aut desertum quaerit aut hominem solitarium adpetit; aemulus vero omni tempore cogitat, suspirat et angitur quomodo innocenti proximo noceatur. Homicidium enim occulte promittitur et aemulatio aperte grassatur. Apud homicidam praesens iudicium extimescitur, apud aemulum etiam futurum Christi contemnitur; illic qui deprehenditur iudicantis sententia iugulatur, hic a paribus qui tabs est collaudatur.

2. Pro nefas, amare quod noceat, gerere quod occidat, maxime cum in auctorem nocendi Studium redeat et in ilium revertatur periculum a quo malitia <...> Innocenti invides, aemulator, frustra livore fratrem persequeris, frustra in proximum odia iniqua intendis. Contra te est bellum, contra te atrocissimum geritur bellum: innocens enim aemulationem tuam contemnit et vincit, odia tua despicit et evadit. Tu vero solus sentis, solus cogitando torqueris, dum in fratris

perciniem venena pestifera machinaris. Tu detrahis et ille precatur, tu invides et ille exultat, tu cum turbidis aspectibus intueris et ille te placatus adtendit. Cessa iam, qui tabs es, cessa! Noli abena felicitate torqueri, noli fratris profectibus lacerari; nocere illi non potes, febcitatem munire quam innocentia necessarium est ampbare. Quod in fratre zelas, Dei est quod in proximo **[p. 216]** persequeris, Christi est. Deo enim invidet qui felicitatem proximi dolet; Christo aemulatur qui fratris profectibus contristatur. Tu vero quisquis es, innocens, gaude. Gaude, inquam, quod aemulos placatus adtendis, quod patienter invidos pateris, quod malorum odia sustines et ignoscis. Dum enim diligis invidentes, detrahentes toleras, malitiosos simpliciter ac modeste declinas, sic aemulorum odia caritate dispungis et invidorum vulnera amore defendis; cuius profectus tormentum est invidentis et felicitas poena est peccatoris, qui odiris et amas, laceraris et toleras, aemulos pateris nec ipse in eos aliquando moveris.

3. Odii malum sine telo perimit, sine gladio interficit, sine ferro occidit. Odii malum in exordio mundi Cain parricidam effecit et Abel innocentem martyrio coronavit. Pro dolor, qui occidit moritur et qui occisus est coronatur! Nec enim diu Cain postmodum vixit quem Lamech miserandus occidit. Fiunt tunc duo unica, prima et nova: alter inchoavit parricidium, alter dedicavit martyrium; auctorem odii perimit culpa et innocentem coronavit victoria ut odium parricidam acciperet principem et innocentia martyrem haberet auctorem, ut de utriusque exemplis alter territus odisse desineret, alter invitatus innocentiam exoptaret. Subtrahitur innocens caede nocentis et reus superstes efficitur sceleris; tollitur qui posset innocentiam seminare et remanet qui parricidia potuit ostendere, ut innocentia subtracta parricida tantummodo viveret qui vitiorum exempla monstrare potuisset. Odii malum Iacob fugavit, Ioseph vendidit, David Saul profugum fecit; qui quidem omnes sua odia parricidiis explessent nisi salutem illis locorum mutatio attulisset. Pro nefas, innocentes nocentibus credunt, malos simplices metuunt, probos improbi persequuntur. Fit enim in malis odium audax, aemulatio ferox, invidia pestilens, superbia nocens; livore pectus inficitur, pestifera tabe animus maculatur. Non enim recipit sanitatem qui possessus est aegritudine, nescit sapere qui invidendo caecatus est; mente perdita mors afficit qui aemulationis tenetur in causa. Disponat licet invidus innocentis perniciem, dolos aptet, insidias fabricetur, crimina iniqua quaeque disponat, zeli stimulis agitetur, tumentia innocentem sua probra convertant, patientiae viribus superatur. Odii malum Iudaeorum furorem in prophetas armavit, in Christum accendit, in apostolos excitavit; odii malum persecutores generat, inimicitias excitat, iras inflamat.

4. Fuge odium, Christiane, quod tantos semper decepit, fuge quod nulli umquam pepercit, fuge, inquam, quod auctorem odii, idipsum diabolum, iugulavit. **[p. 217]** Diabolus enim protoplastos dum prosternit prosternitur, dum deicit deicitur, dum vulnerat vulneratur; in auctorem periculum redit, malitia principem reperit, supplicium originem recognoscit. Illo enim revertitur poena unde initium acceperat culpa; nec enim potuit infelix evadere cuius odio alios constitit interisse. Odii malum nec inter fratres in ecclesia deest, si tamen qui fratrem odit esse in ecclesia potest. Odii enim malum est dum frater invidet fratri, dum inferiorem insequitur, dum meliores deterior aemulatur, dum alius proficit et alius suspirat, dum alius gaudet et alius contristatur. Felicitas enim proximi poena est odientis, laetitia fratris tormentum est peccatoris. Desine quaeso, desine alienam gloriam tuam facere poenam, desine de fratris commodis habere tormentum, desine de eius profectibus sentire supplicium; sed te dum forsitan pateris si meliorem quemquam aspexeris, intra te est

causa, intra te est remedium, unice cum benignitate, unice innocentia, unice officio. Tunc enim poteris esse tu melior si eum odisse iam desinas, si tibi invidentiam detrahas, si ei aemulari desistas. *Noli*, inquit, *aemulari bene ambulanti in via sua* (Ps. 36,7). Ceterum si innocenti invides, in te gladios torques; si odio fratrem persequeris, facibus livoris exureris; si dolos in proximum machinaris, malitia ipse tua prosterneris. *Diligite*, inquit Dominus, *inimicos vestros et orate pro his qui vos persequuntur* (Mt. 5,44). Si inimicos non diligimus, offendimus; quid si nostros proximos oderimus, si pro persecutoribus non oramus? Periculo subiaceamus. Quid faciemus si fratribus invidemus? Non sumus filii patris sui si odium tenuerit fratris. Perfecti esse non possumus nisi praecepta Christi servemus. *Eritis*, inquit Dominus, *et vos perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est* (Mt. 5,48). Filium te similitudo patris ostendat, adoptatum generositas morum exhibeat. Qui filius dicitur patris, liniamenta sectetur: invidos filios benignus habere non poterit, odientes non amat qui amare consuevit. Quare discernantur a malivolis boni et benigni ab invidis separentur; mali autem corrigantur aut cedant; boni in bonitate perficiantur et ipsi bonitatis praemia et mali correptionis remedia divina pietate percipiant.

Sermo Wiennensis 56
De peccato atque iustitia
(Leroy, 218-219)

[p. 218] 1. Dominus Christus salutis auctor, vivificator hominis, peccati iudex, magister iustitiae, suis atque a se suo sanguine liberatis praecepta intulit, monita edidit, mandata constituit, quid velit, quidve nolit; hoc est fugienda peccata exercendaque iustitia in suis legibus demonstravit ut christianus structus voluntati redemptoris appareat et parendo praemia promissa percipiat nec aliter possit accipere quod promittitur nisi prius fecerit quod iubetur, ut contemnenti duplex accidat poena quod et munera promissa perdiderit et supplicia destinata incident. Nec excusari poterit peccator a poena qui maluit in contemptu Domini frequentare peccata. Est enim peccatum origo mortis, tormentorum causa, poenae principium, supplied negotium, severitatis materia, censurae fomes, venenum praevaricationis, hominis interitus contemptoris. Peccatum enim a diabolo duxit exordium et in hominis consummatur interitum. Quale malum est quo evadere non potuit nec ille qui primus occidit? Quale, inquam, malum est ubi qui interficit interficitur, qui occidit moritur, qui perimit severiore sententia iugulatur?

2. Fugienda maxime christiano res est, cui cuncta peccata indulgentia Christi donavit. *Ecce*, inquit, *sanus factus es iam noli peccare ne quid tibi deterius fiat* (Io. 5,14). Gravius enim punitur qui post veniam peccat; severius plectitur qui delinquere post indulgentiam delectatur nec potest mereri ulterius veniam cuius venia peccandi facta est causa. Molesta est meditatio peccatoris, sub † benignitatis † cogit et trutino iudicantis. Facile enim sese abstinere a peccatis qui severitatem timuerit dominantis. Ceterum quasi benignitas faciat insolentem aut pietas constituat peccatorem, sic illi venia non peccata detraxit sed peccandi materiam procuravit. Beneficii enim ingratus est, qui datorem peccando contemnit; poenae incurret interitum qui amaverit frequentare peccatum. Diximus auctorem peccati diabolum esse. Igitur, si auctor est Christus, scriptum est enim, *Qui peccat de diabolo natus est quia diabolus a*

principio peccat (1 Io. 3,8); qui vero *fecerit iustitiam* de Deo natus est - duo diversi auctores, duos et diversos habeant necesse est sectatores, id est qui peccat diabolum, qui iustitiam fecerit Christum. Ita non potest minister Christi esse qui peccat, quomodo esse minister diaboli non potest qui iustitiam exercendo frequentat.

3. Unde diversa merita paria praemia habere non possunt. Ut enim iustis praemia promittuntur, ita poena peccatoribus destinatur, sicut enim privari iustus praemio non potest, ita peccatorem accipere poenam necesse est. Quare [p. 219] si peccatoribus poenae non praesentantur, neque iustis praemia promissa redduntur. Igitur, si necesse est peccatoribus destinata supplicia exhiberi. *Venite, inquit, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine* (Mt. 25,34). Et iterum contra peccatoribus: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum quem paravit pater meus diabolo et angelis eius* (Mt. 25,41). Unde evidens atque manifestum est iustitiae praemium esse, ut tamen peccati stipendium mortem, dicente apostolo Paulo: *Stipendium peccati mors est, Domini autem iustitiae vita aeterna* (Rom. 6,23). Peccator enim ac iustus cum auctoribus aut praemia aut poenas destinatas expendeant; ut enim iustus cum Christo gaudebit, ita peccator cum diabolo in aeternum tempus maerebit; ilium aeterna vita, hunc perpetua poena expectat; hic angelica gloria vestietur, Ole incendia perpetua patietur; hic iustitiae gloriam credendo accipiet, ille quae non speravit inveniet; hic regnorum coelestium accipiet praemia, <ille> aeterna flammaram pensabit tormenta. Quare gaudeat iustus iustitiae praemia percepturus, plangat peccator, peccatorum supplicia si correptus non fuerit subiturus; iustus iustitiae opera ad summum vitae perducatur et peccator deinceps peccata damnando evadat ut et iustum perseverantia muneret et peccatorem paenitentiae fructus et correptio vitae meritis iustorum adsociet.

Sermo Wiennensis 57

De levium peccatorum periculis quibus maiorum peccatorum pernicies possit agnosci
(PLS 4, 733-735)

[c. 733] Si levium delictorum magnitudo noscatur, et maiorum facillime pernicies noscitur. Unde fit sic, ut perpensa diversitate culparum declinentur levia, detestentur enormia, atque omnia ab homine omnino damnentur peccata: ne pro peccatis homo ipse damnetur, maxime cum quicquid leve quis duxerit, comparatione peioris est leve. Caeterum leve non est quod hominem ex interdicto occidit, et quod ex iussu interficit. Dum enim vetita fiunt, contemnantur iussa, et imperata audaci contumacia negliguntur: sic et autoritas Dei iubentis offenditur, et poenarum perpuitas invenitur. Cur enim iussa contemnis, si servis: cur operaris vetita, si obsequeris: aut cur imperata negligis, si famularis? Nec enim contemnendo, servus quispiam promeretur: nec Dominus obsequendo offenditur: nec parendo, aliquis condemnatur. Contumacia creat poenam, servitus invenit gloriam. Numquam enim prospera ex contrariis proveniunt: numquam denique ex bene gestis mala nascuntur. Quicquid ab homine homo tibi fieri cupis: hoc si genitori exhibueris, promereris. Non potes inde iudicem promereri: unde te ab homine constat offendi. Sed leve forsitan aestimas, si sermone deliqueris. At leve non est, quo homo aut iustificatur in bono, aut in malo sermone e contrario condemnatur. De sermonibus tuis condemnaberis.

Quare beatus est sermo, si iustificationi proficiat: infelix est, si damnationem incurrat. Denique martyrii gloriam per sermonem conficitur: dum Christianus Christum, quem praedicat, confitetur. Blasphemia et detractio, periuria, caeteraque similia sermone gignuntur. **[c. 734]** Negatio nominis, et abrogatio Christianae professionis sermone exprimitur: dum nephanda vox in funestam perfidiam aperitur. Ipse iudex, dum iudicat, sententiam sermone exprimit: dum sermone innocentem absolvit, aut reum addicit, ut inde in reos sententia veniat, unde venit et culpa: inde eis poena oriatur, unde causa enascitur. Sermo enim fecit obnoxium culpa, sermo debitorem efficit poenae. Qualis autem causa sermonis est, quum, prolatus in iudicio, ante hominem sermo prior ipse festinat: talis causa molesti sermonis est, quem aut poenitentia culpat, aut poena condemnat. *Mors et vita*, inquit, *in manibus linguae* (Pr. 18,21). Sermone enim Dominus frequenter offenditur, sermone frequentissime promeretur. An tu levem culpam habere eum existimas: qui detrahit fratri, qui invidet potiori, qui disponit dolos, meditatur insidias? Aut illum leviter peccare existimas: qui proximum sermone circumvenit, adulatur reo, opprimit innocentem, qui meliori invidet, humilem despicit, superbum extollit? Sed forsitan, cogitatus nostros ad Deum non putes pertinere? Nullus actus non cogitatione praecurrente conficitur, nullum opus non corde meditante completur, maxime cum sermo minister sit cordis: nec quicquam aut actu conficitur, aut sermone profertur, nisi prius idipsum cogitando gignatur. Nam etsi nonnumquam cogitamus, nec gerimus: disponimus, nec implemus: tamen cogitata pro factis tenentur, licet nondum opere compleantur. Facere enim cordis, cogitare est: quia corporis est cogitata perficere. *Quid cogitatis*, inquit Dominus, *nequam in cordibus vestris* (Mc. 2,8)? Et iterum *Qui viderit ad concupiscendum, iam moechatus est in corde* (Mt. 5,28). Cor enim cogitando tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere: reus est iam animus, qui cogitavit: licet immune corpus sit ab opere, quod non fecit. Interior notatur, licet immune sit corpus: aut a substantia, licet exterior sit aliena a culpa. Sed dicis mihi: Quid si cogitavit aliquis, et non fecit: disposuit, sed non implevit? Primo, malum cogitatum non facere, duplicem in se continet causam. Aut enim recordatio cogitata immutat, aut faciendi impossibilitas denegat. Alterum poenitentia curat, alterum exercendi difficultas informat. Ut enim recordatione conceptum vulnus curatur: ita facultate negata, mala cogitatio summovetur. Sed ille qui recordatur, beatus est qui potuit cogitata perficere, sed noluit quod non licebat implere. Is vero miser est, qui illicitum voluit facere: **[c. 735]** sed non potuit occasione negata complere. Postremo poterit hic veniam recordatione percipere. Ille reus tenetur in crimine, cui perpetrandi difficultas non attulit curam, sed perseverans cupiditas exaggeravit vindictam. Et quoniam levium delictorum proposuimus causas, gustus vel visus leve quiddam et inane forsitan videtur. Gustus primo levis non est qui Adam protoplastum in origine mundi decepit, et cum eo, genus humanum sententia mortis addixit (Gen. 3,6). Nec etiam immunis est visus, qui interdicta videre Lot uxorem de Sodomis proficiscentem non sinit: quae statim incurrit, quod evaserat, dum eam divina vindicta in salis materiam transmutavit (Gen. 19,26): ut ex hoc non appareat qualitatem delicti debere quemquam intendere, sed divina iussa tota veneratione servare: nec debere hominem quid iubeatur expendere, sed magis quis iusserit, cogitare. Neque enim leve dicendum est quod hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit: quum scriptum sit: *Qui modica spernit, paulatim decedit* (Eccl. 19,1). Sed hoc maxime cogitandum: si levia sic occidunt, quemadmodum gravia interficiunt? Nec in levibus se immunem quis deputet: sed ex

praecedentibus exemplis, quid mereatur, consideret. Nec evasisse se credat, si fecit ille quod ille fecit qui perit: sed magis timeat, quod sibi in futurum iudicium caeleste servavit. Nam si commissa leviam impunitatem habere non possunt, quid de gravibus aestimabimus? Cesset igitur, cesset humana temeritas: et omnia omnino delicta omni cautela ac sollicitudine amputet. Ita enim quod interdicatur, transgredi mors est: ut quod iubetur, facere vita est. *Si vis, inquit, in vitam venire, serva mandata* (Mt. 19,17). Unde si observantia legis, vita paritur: contemptu mors necesse est, inveniatur: quoniam si contemptu mors non nascitur, nec vita de observantia attribuitur: aut si necesse est vitam de observantiam attribui, necesse est mortem contemptoribus irrogari. Quare sanctificatus homo, sancte iam vivat, et peccata quaecumque sunt fugiat: ut qui peccator potuit condemnari per iustitiam, possit in aeterna secula munerari per gratiam.

Sermo Wiennensis 58

De fide

(Leroy, 219-221)

[p. 219] 1. Maior fides fuisset si quantum meretur aut potest, indicari ab homine potuisset; hanc patriarchae norunt, prophetae sciunt, apostoli tenent, amplexantur martyres, possident confessores; hac christiani vigent, sancti pollent, iusti in ecclesia florent; huic diversa nunc obsequuntur carismata et in futurum magna destinata sunt praemia. Ignoramus huius vires, in sanctis agnoscimus etsi adhuc eius praemia ignoramus; sine illa nullus est accessus ad Deum, nullus proventus ad Christum. Haec in raris consistit, etiamsi pluribus suum nomen adtribuit. Amat illam qui quod profitetur exercet, infamat illam qui aliud quam quod vocatur ostendit. Et quamvis fides arcana mentis obtineat, tamen et operum testificatione firmatur et legum perfectione monstratur. Hanc qui amat beatus [p. 220] est, qui contempsit miser; nec enim quisquam poterit fidei percipere praemia nisi qui eius amaverit gloriosa officia. Quare de fide cum filiis fidei disputemus cuius utilitates et commoda tanta reddita sunt quanta aut sinceritas credentis exercet aut liberalitas Dei promittentis adtribuit ut iam diversorum meritis fides eadem varietur, ut quanta fuerit in homine, tanta reddatur in munere. Cuius nominis culmen tanto fastigio sublevatur ut fidelis etiam Dominus ipse dicatur; unde fideles non immerito diligit qui ut promissi fidem a credentibus exigit, ita ipse fideliter quod promittit impertit.

2. Est enim fides salutis ianua, aditus vitae, introitus gloriae, dignitatum caput, magistra virtutum; huic coelum patet, Deus favet, Christus adridet; haec compescit morbos, curat aegrotos, languentes medicat, mirabilia conficit, signa exercet, portenta demonstrat, ignes vocat, pluvias impetrat, adversa compescit, elicit prospera; per hanc nihil impossibile credenti efficitur, nihil nisi quod forte ipse non credit, Salomone dicente: *Qui non credit Deo ideo non protegetur* (Sir. 2,15). Fides nisi frangitur adversis, non extenditur prosperis. Est enim fides indivite mitis, sublimis in paupere; est, inquam, fides inter ignes segura, inter bestias tuta, in carceribus libera, soluta in vinculis; torquetur et gaudet, laniatur et laeta est; cum dimicat vincit, cum patitur triumphanter existit. Postremo totum quicquid in praesenti geritur et in futurum promittitur, ita perfidiae clauditur ut fidei aperitur.

3. Hanc Abraham amplexatur et per eam Dominum promeretur; dum terram propriam Dei iussu dimittit, dum suos deserit, ad extraneos mansit nec

horret alienos dum deserit suos nec proximorum amore tenetur, dum Domino iam rapitur; docuit parentes debere deseri propter Deum; ostendit quicquid iubetur implendum nec carius Deo quidquam existere qui carissimum filium in senecta susceptum iussu Dei obtulit immolandum; quod quidem devotus impleret si Dominus qui iusserat permisisset. Fidelis Eliae sententia populi mutatur perfidia dum pluviarum defectu sterilis terra ieiunat, dum coelum sitit, humus arescit, fontes siccant, prata anhelant, negantur pabula, imbrium negatur natura. *Vivit, inquit, Dominus, erit his ros aut pluvia nisi per verbum oris mei* (3 Reg. 17,1). Hac enim sententia fidelis prophetae meruit populus perfidus iudicari ut, deficiente in populo fide, rerum ubertas deficeret et perfidiae malum inopia castigaret, ut et fidei commoda et perfidiae detrimenta famis iudicio demonstrarentur. Denique per eundem prophetam fidelem cum liberis pascitur vidua per quem famis necessitate torquetur Iudaea; fidelis viduae modicum quod remansit finire non potuit, infideli populo abundantia minuitur et esurit; fidelibus modica finire non possunt, infidelibus etiam cum sunt nec non sunt, **[p. 221]** tormenta non desunt. Fides pascitur quia praesumit, perfidia iudicatur quia diffidet; fidelis Deum sibi efficit debitorem, infidelis vero Dominum sibi constituit iudicem, unde queretur et fides necessariis utilitatibus pascetur. Nec enim fas erat ut fames quae ad vindictam venerat perfidorum, sine discrimine Dei servos adtingeret ut iam nec separatio meritorum nec ultio posset nosci ad aliquo perfidorum. Frustra niteris, frustra conaris perfidia; contra te est bellum, contra te dimicat coelum, contra te terra rebellat, elementa discordant, contra te universa quae pro te esse consueverant Domino iubente te pugnant. Non potest Christi famulari natura cuius auctorem despicis, contemnis Dominum, genitorem non serais; quod fads pateris, quod exerces invenis, quod operaris agnoscis. Ut enim fidei universa subiecta sunt, ita perfidiae inimica cuncta redduntur. Mutetur a te perfidia fide, contemptus obsequio, contumacia servitute ut fides te Deo faciat <proprium quem perfidia> fecerat alienum.

4. Denique interpellat in evangelio Dominum centurio ut suum salvum efficeret puerum: *Domine, inquit, puer meus iacet in domo mea paralyticus, graviter poenas dat. Ego venio, inquit Dominus, et curabo eum.* At ille: *Domine, inquit, non sum dignus ut sub tectum meum introeas sed tantum die verbo et curabitur.* O fides in centurione perfecta, quam ipse Dominus collaudavit dicens: *Amen dico vobis, in nullo talem in Israhel fide inveni.* Die, inquit, *tantum et curabitur verbo* (Mt. 8,6-8). O, inquam, fides in centurione perfecta, qui quanto fidelius petit, tanto citius quod petivit accepit. Die, inquit, tantum verbo et merui, iube solum et inpetro quod optavi, praecipe sermone et quod desidero inpetravi. Nam si ego homo voco militem et venit, mitto et vadit, praecipio servo et facit, quanto tu omnium Dominus cum iusseris fiet, cum praeceperis paret, cum imperaveris virtus curationis adsistet. Indigna est domus quae tantae puritatis auctorem excipiat, indigna sunt tecta quae tanta maiestas introeat, incongruens domicilium quo habitator caelestium et Dominus angelorum adveniat. Hoc fidelis centurio mente concepit etiamsi verbo conticuit; unde laudari a Domino taliter meruit. Suum Domino proponit exemplum ut eius sibi procuret imperium, suae potestatis in suos indicat iussa, ut ad miserendum Dominum invitet; auxilia humanae potestatis iussa demonstrat ut potentem Christi virtutem extorqueat. Si qualis sum, inquit, Domine, homo in hominem, talis in ista volueris esse virtute, curabitur puer, laetabitur Dominus, laudabitur Deus. Impetrat misericordiam fides, pietatem humilitas invenit, centurio meruit quod optavit nec fidei roganti Dominus defuit, qui desiderata numquam fidelibus denegavit.

Sermo Wiennensis 59

De pace

(Verbraken, 563-566)

[p. 563] Domini in evangelio vox est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (Io. 17,24). De pace dicturi, prius quae sancta sint pacis commoda videamus. Est enim pax serenitas mentis, tranquillitas animi, cordis simplicitas, amoris vinculum, consortium caritatis. Haec est enim quae simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat. Placita est cunctis, ...? est singulis. Non quaerit alienum, nihil deputat suum. Docet amare, quae odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari. Humilis omnibus et mitis, ipsa requies, tranquillitas, pax est. Quae cum exercetur in christiano, consummatur in Christo.

Hanc qui amaverit, heres est Dei; qui contempserit, Christi rebellis existit. Dominus enim Iesus Christus ad Patrem remeans hereditarium bonum, id est pacem suam, suis cultoribus dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. (Io. 17,24) [p. 564] Hanc pacem qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, requirat: quoniam qui in eadem pace inventus non fuerit, abdicatus a Patre exheredatus erit a testatore, ut exsul et nudus invenietur ab eodem Domino alienus. Respuet enim munus oblatum, qui dare contempserit donum; nec poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamento noluerit inservire. Pacem quam dimisit Christus, christiane, amplectere; hereditario bono ut Dei cultor adhere; voluntatem Domini in te transfusam ostende.

Beati, inquit, *pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (Mt. 5,9). Praescriptum est discordibus, praescriptum est inimicis. Filius esse non potes, nisi pacificus fieres. Inimicos abdicavit, qui pacificos filios facit. Aut enim datam pacem, christiane, conserva; aut gloria tibi salutis promissa despera. Non potest promissa percipere qui cum fratre noluerit concordare; non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum christiano. Si aliquis pro Christo vicariam passionem pateretur, si Filii Dei sanguis effusus ad pensandum nostro sanguine quaereretur, quanta instantia, quanto beneficio fuerit festinandum, ut et iussa tantae maiestatis expleres et vicaria passione dependeres et vitam acquireret et passionem reciprocā compensares! Nam quomodo poteris pro Christo animam ponere, si pacem ab eo delegatam nolueris conservare?

Contumaciae crimen est quod iubetur contemnere, quod praecipitur nolle, quod imperatum est declinare. Pax enim Christi est bonum, discordia diaboli malum. Quid tibi cum discordia, christiane, quae principem suum ipsum diabolus interemit? Quid amas simultatem, quae parcere auctori noluit, nec illi qui eam primus induit? Dum protoplasto serpens invidet, interficitur; dum homini [p. 565] invidet, prosternitur; dum Adam decipitur, iugulatur. At contra Christus tantum homini caritate adest, tantum eum unica benignitate ambit, ut eum Patri commendaret et sibimet sociaret, dum propter eum descendens induit carnem, toleravit iniusta, mortem amovit, inferos penetravit, victoriam homini adquisivit, sicut ipse Dominus: *Maiorem*, inquit, *hac caritatem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis* (Io. 15,13).

Vos, inquit, «*amici mei estis si feceritis quae ego mando vobis* (Io. 15,14). Quomodo Christo vicem passionis rependis, qui fratrem ut iuberis non diligis? Quomodo amari a Domino poteris, qui odis illum quem Christus amavit? Non amat Christum, qui fratrem odit. Personam suscipit diaboli, qui invidet fratri.

Invidia, inquit, diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius (Sap. 2,24-25). Non cadit, inquam, in christiano, quod cadit in diabolo, quia christiano convenit observare quod eum constat a Domino didicisse: quaerere, et Christi caritate complectere, et discordiae auctorem dissimilitudine operum recognoscere. Semper enim boni odia malorum excipiunt. Invidiosa est enim hominis felicitas: cum dignitate semper crescit. Invidiae denique principia ipsa respice, et invenies genus humanum duplici ordine exterminasse. Respice, inquam, Cain a parricidio sumpsisse exordium, dum innocenti invidet, dum sancto sacrilegus aemulatur. Sic ab impio fratre Abel modestus occiditur, et Esau ferventis odia fugiens Iacob frater evadit, non tamen ne ipse ab eodem perimatur...? parricidia frater fratris sanguine redderetur, iterum quod disposuit Esau compleret, si opportunum Iacob ut voluit...? Ioseph benignum invidia fratres appetunt, in famulum distrahunt, ut et sibi et Aegyptiis constituerent Dominum, et ipse sanctissimus fieret ex servo Dominus, ex humili excelsus, ex modesto fieret potestate subnixus: ut mutata vice fratres scelestae quod fecerant paterentur, servirent fratri qui fratrem pro servo vendiderant. Innocentia enim laborare potest, vinci non potest. Sublimis enim redditur, cum humiliatur; potens efficitur, cum contenditur; victor redditur, cum malis addicitur. Denique Saul rex cum David persequeretur, innocentem offendit: dum iugulare vult, cadit; dum in malo perseverat, caelesti ictu interit. At contra David parcendo promovetur, declinando amatur, fugiendo hostem ut humilis a Domino honoratur. His exemplis quid boni, quid mali, quid pacifici, quidve discordes merentur, ostenditur. [p. 566] Numquam enim pacificis bella nascuntur, nec a discordibus pacis federa conduntur.

Diligite, inquit, inimicos vestros et orate pro eis qui vos persequuntur (Mt. 5,44). Nullum odisse poterit, qui inimicum dilexerit; nullum aemulatur, qui pro inimico suo Dominum deprecatur. Invidere non poterit fratri, qui benignum se exhibuerit hosti. Si inimicos iubemur diligere, quem ex fratribus poterimus odire? Si iniuriae vicem non reddimus, quomodo fratrem lacescitum iniuriamus? Benignitas in hoste perfectio est caritatis. Fratrem odisse non potest proprium, qui diligere compellitur alienum; nec potest fratri inimicum se sistere, qui inimicum praecipitur honorare. An ille pacem Christi suscepit, qui rabido ore, effrenato corde, in contumeliam fratris frater exarsit, qui disponit iniurias, meditatur dolos, eversiones quaerit, molitur insidias, qui labiis pacem simulat, corde bella componit, qui felicitatibus invidet alienis et fratris prosperitatibus gemit, qui in alterius honore suspirat, qui transversis oculis eundem fratrem prosequitur, cuius aures detrahentibus patent, qui libenter malum admittit, bona repellit, qui credit falsa, respuit vera, cui aliena felicitas poena est, cui proximorum profectus tormentum et gloria fratris supplicium est, qui invidendo pascitur et detrahendo nutritur, qui felicitum casibus gaudet, prosperitate moeret, commenta deflet?

Si quis ergo sollicitus et cautus frater existis, quem Christus monet, debes eius pacem in fratris dilectionem complere. Serva monita, comple mandata, ut possis Christum iudicantem audire: «Accipe quod promisi, quia fecisti quod iussi». Nec aliquid tibi ex praemiis poterit denegari, quia nihil in te offensum potuit inveniri.

Sermo Wiennensis 60

De oratione

(Leroy, 222-225)

[p. 222] 1. Est enim oratio cum Deo colloquium, adlegatio desiderii, medicina vulnerum, sanitas aegrotorum. Est, inquam, oratio momentum salutis, fidei robur, expugnatio hostis, contra inimicum bellum, in fame ubertas, in aegritudine sanitas, contra mortem vita, contra languorem medela, arma contra hostem, contra ignem refrigerium, contra feras praesidium, subsidium miserorum, orphanorum auxilium, solatium viduarum. Haec arcana nudat, reserat clausa, vincula soluit, custodias aperit, impetrat pluvias, ignes vocat, dementis imperat fecitque ea quae fieri rerum natura non patitur. *Quicquid*, inquit, *credentes petieritis, continget vobis a patre meo qui in coelis est* (Mt. 21,22). Nihil oranti excipitur, nihil negatur; faciat orans quod praecipitur ut possit accipere quod precatur. Non sit ad obsequium contumax qui ad Dominum precandum adcedit; audi Deum, ut audiaris ab illo, pare praeceptis ut impleat ipse quod poscis, ne veniat super te sententia Dei dicentis: *Quoniam locutus sum et non audierunt me, sic clamabit et non audiam eos* (cfr. Zach. 7,13). Difficilis impetratio est ubi perseverat nequitia, facillime ignoscitur quod praemissa satisfactione damnatur; necte <te> pro antiquis et cessa delinquere, pro veteribus ora et nova exhorre; praeterita enim tibi ita poterunt condonari si iustitiam sectans terminum delictis imponas, *Fili*, inquit, *peccasti, ne adicias iterum* (Sir. 21,1). Clementissimus Deus etiam post peccatum filium nuncupat; est enim filius si cesset, si augeat hostis nec filii nomen amittit si non cesserit copia peccatorum. *Fili*, inquit, *peccasti, ne adicias iterum. Sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri, fuge peccata, si accesseris ad illa suscipient te quasi dentes leonis invorando* (Sir. 21,1-3).

2. Publicanus orat in templo et clementer auditur, descendit iustificatus qui peccator in templum ascendit. *Duo*, inquit, *ascenderunt in templum ad orationem, unus pharisaeus et alius publicanus. Pharisaeus autem talia precabatur dicens: Deus, gratias tibi ago quia non sum sicut ceteri homines iniusti, raptores, adulteri, quomodo publicanus iste; ieiuno bis in sabbato, decimas do eorum quaecumque possideo. Publicanus autem stabat de longinquo et neque oculos volebat in coelum porrigere sed tundeat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Et Dominus addicit dicens: Dico autem vobis quod iustificatus hic descendit in domum suam magis quam ipse pharisaeus. Omnis enim qui se exaltaverit humiliabitur et qui se humiliaverit exaltabitur* (Lc. 18,10-14). Tundeat publicanus pectus quod numerositas infecerat peccatorum et quasi delicta animo clausa crebris ictibus verberaret, sic pectoris secreta tundeat. Sciebat enim non posse latere quae Deo teste commiserat, nec veniam posse mereri nisi animum ipsi iudici fateretur; deiciebat publicanus oculos ad terram [p. 223] sed corde Dominum aspectabat, orabat demissa <facie>, erecta mente Dominum cernebat; rogabat publicanus non verbis sed fletibus, non precibus tantum sed laceratione pectoris et dolore nihilque aliud quam delictorum veniam postulabat. Adest et pharisaeus observantia legis securus, clamore ipsa reprobis factus et, quasi legem observans beneficium Domino praestitisset, sic superbe quae fecerat ventilabat; denique non orare sed reprobari ascenderat, nec rogare Dominum sed illum potius excitare ut qui humilientem se publicanum despexerat, despectus ipse a Domino horreatur.

3. Iustificatur publicani confessio, pharisaei elatio reprobatur; hic humiliatio publicanum exaltat, illic pharisaicum superbia humiliat; hic expiatus de templo descendit, ille reprobatus domum revertit, ut sit omnibus manifestum Dominum magis humilem peccatorem quam superbum quemquam audire. *Oratio*, inquit, *humiliantis se nubes penetrat et non desinit donec aspiciat altissimus* (Sir. 35,21) et Deus patiens auditor delectatur illis; talium Deus precibus delectatur, talium oratione ut pius Dominus Deus commovetur, his mutatur ut clemens, his ut misericors exoratur. *Super quem aspiciam alium, dicit Dominus, nisi super humilem et mitem et trementem verba mea?* (Is. 66,2) Nam quisquis homo ad eundem iudicem petendum ne <inaniter> accessat, nunc loci nunc temporis opportunitatem exposcit ne familiares impediunt aut ministri arceant aut aliqua causa obsistat; ad Deum autem orando accedes cum voles, quantum voles precaris. Adest enim audire orantem, adest semper praestare paratus; allegantem desideria non respuit, non aspernatur. Tu fies et ille exultat, tu gemis et ille congaudet. Nec enim verba magis quam gemitus audit, nec vocibus potius quam fletibus delectatur. Quantum enim lacrimae uberius effunduntur, tanto miseratio Dei clementius impertitur. *Nonne lacrimae*, inquit, *ad maxillam descendant et exclamatio a maxilla ad Deum ascendet et non desinet donec aspiciat Deus* (Sir. 35,18. 21).

4. Sic Ezechias rex a morte eximitur, sic in vicino constituto <mortis>, vitae tempora prorogantur. Ad quem aegrotantem cum propheta a Deo missus venisset: *Dispone*, inquit, *domum tuam; morieris enim et non vives; qui cum se ad parietem convertisset, flens Dominum deprecatur: Memor esto*, inquit, *quemadmodum ambulaverim in conspectu tuo et quae tibi sunt placita fecerim et flevi in conspectu tuo et flevit inquit Ezechias fletu magno*. Confestim ad eum revocatur propheta dicens: *Haec dicit Dominus David patris tui: Audivi orationem et respexi ad gemitus tuos; ecce addidi ad tempus tuum annos quindecim et de manibus regis Assyriorum liberabo te et pro civitate ista pugnabo* (4 Reg. 20,1-6). [p. 224] Iacebat Ezechias infirmitate fessus, divina sententia moriturus, iacebat non ut aegritudine laboraret sed ut terminum vitae Deo iubente acciperet. Denique missus propheta mortem praedicat, vitae finem annuntiat. Mox Ezechias territus metu Deum adoratur, deprecatur Dominum ut cuius sententiam pertimuerat eius indulgentia servetur. Statim inter pectoris aestuantis angustiam exoptata gaudia pariuntur; statim lacrimosa lamentatio precum testificatione quiescit, statim denique madentes oculi fletus nuntio salutari terguntur. Cito enim quod accipitur precibus dolenter expetitur. Denique adest oranti continuo Deus, deprecanti mox Dominus miseretur, velocius Ezechias impetrat quam orat, citius auditor quam Dominum deprecatur; affert propheta indulgentiam qui sententiam nuper attulerat, salutem praedicat qui morti addixerat ut quanto sententiae fuerat maerore affectus, sic tanto gaudio indulgentia, frueretur. Igitur Deus mortis latam sententiam flectit, feneratum beneficium tribuit. Amat Dominus rogari ut praestet, amat deprecantibus frequenter ignoscere, amat mutare sententiam si peccatores voluerint malitiam immutare.

5. Anna sterilis filium ut accipiat Dominum deprecatur; et orabat Anna in corde suo, labia eius tantum movebantur et vox eius non audiebatur et exaudivit eam Dominus; orabat Anna sanctissima Dominum, quam, natura sterilem, matrem oratio fecerat; fit oratione fecunda quae natura fuerat desolata; precabatur illa non ore sed corde, nec verbis strepentibus personabat quae devoto animo Dominum detinebat; extorquet oratione quod natura non dederat. Fit possibile precibus quod nullatenus possibile videbatur. Ipsa denique cuius

necdum secreta viscerum genuerant, suum maiestatis potentia contemplatur. Denique promittit Domino filium quem necdum impetrat, vovet illum quem nondum <habebat>; dat Dominus filium matri sibi prophetam, dat, inquam, Dominus matri solatium, sibi aptissimum sacerdotem; utrisque proficit quod matris oratio postulavit ut dum dono coelesti Samuel sanctissimus nascitur, et mater filium et Dominus haberet ministrum.

6. Nam sunt nonnulli quorum orantes alii damnant, maledicunt alii, alii ultionem inimicis exoptant: irascitur orans proximo et quaerit Deum habere propitium; vindictam de inimicis exposcit et peccatorum veniam concupiscit; maledicit proximo et benedici a Deo exoptat. *Homo, inquit, homini reservat iram et a Deo quaerit medelam; <in> hominem similem sui non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur, ipse coepit retinere ipsum et propitiationem repetit a Deo* (Sir. 28,3ss). [p. 225] Sunt, ut dixi, qui magnis clamoribus orare consuerunt et quasi iacentes humi coelum penetrare vocibus possint, sic extenso clamore quae desiderant poscunt ut tunc se putent audiri cum clamant, tunc impetrare si magnis vocibus quod desiderant postulant. Quorum oratio non tam ipsis quam aliis obstrependo contraria est. Nam etsi quidam dolentes exclamant, tamen Deus non clamores sed maerentia corda exaudit nec strepentia verba sed afflicta pectora intuetur. Novit occulta, tacita aspicit. *Ecce, inquit, oculi Dei in mirabilibus, sole lucidiores sunt, circumspicientes omne profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes* (Sir. 23,28). Igitur oret Deum pacificum pectus, benignus animus Dominum deprecetur; non sit in ore aliud, aliud in corde; extrema cogitatio orationis saltem tempore conquiescat, nullum sit in precibus verbum quod cogitatione profana frustretur. Ita enim Dominus poterit adesse oranti si orantis animus fuerit Domino copulatus.

Frequenza dei singoli lemmi

Nella colonna di destra compare il numero delle occorrenze ≥ 2

a	237
ab	127
abdicatus	2
Abel	11
abiectus	2
abnuat	2
abolere	3
aboleri	2
aboletur	5
abolevit	2
abolitio	2
Abrahae	22
Abraham	36
Absalon	6
absente	2
absentes	2
absolutus	2
absolvere	2
absolvit	7
absolvitur	4
abstinentia	2
abstinet	2
abstrusum	2
abstulerat	2
abundantiam	2
ac	72
accede	2
accedens	2
accedere	3
accedit	2
accendit	2
acceperat	6
acceperis	2
accepit	18
accepta	3
accepturum	2
acceptus	3
accessit	9
accidit	2
accipe	13
accipere	23
acciperet	7
accipiant	2
accipiat	5
accipies	4
accipiet	4
accipis	3
accipit	10
accipitur	2
accipiunt	3
accurrit	3
accusationem	2
acies	3

acquire	3
acquirat	6
acquiratur	2
acquirunt	2
acquisivit	5
actibus	19
actiones	2
actu	3
actus	23
ad	352
Adae	2
Adam	35
addicit	6
addicitur	7
addidit	2
addisceret	3
addit	2
addixit	3
adducit	2
adducitur	2
adduxit	5
adeo	29
adepti	2
adest	16
adhibet	4
adhuc	18
adicias	2
adime	2
adimit	4
adimpleas	2
adimplere	4
adipisci	2
aditum	2
aditus	5
adloquitur	2
admiranda	4
admiratio	3
admiror	2
admissa	4
admissi	5
admissum	5
admitte	2
admittere	4
admittis	2
admittit	4
admittunt	2
admoneo	2
admonet	4
admonitio	5
adoptatus	2
adoratores	4
adoratur	2
adquirat	2

adquisivit	3
adscribere	2
adsidue	2
adsit	3
adsunt	3
adtribuit	2
adveniat	4
advenit	5
adventum	2
adversa	8
adversarii	3
adversarius	2
adversis	7
aegritudine	4
aegritudo	2
aegrotum	3
aegrotus	3
Aegypti	4
Aegyptii	3
Aegyptiis	2
Aegyptiorum	3
Aegyptios	3
Aegypto	4
Aegyptum	5
Aegyptus	2
aemulari	2
aemulatio	2
aemulatione	2
aemulationis	2
aemulatur	4
aemuli	4
aemulo	3
aemulos	3
aemulus	3
aequare	2
aequari	2
aeque	3
aestimas	2
aestuantis	2
aetas	8
aetate	6
aetatem	4
aeterna	15
aeternum	15
affectibus	3
affectu	8
affectum	4
affectus	20
afferat	5
afferret	2
affert	2
afflictatio	2
affligitur	3
aggreditur	3
agis	8
agnis	2
agnoscere	2
agnosceret	2

agnosci	2
agnoscis	3
agnoscit	10
agnoscitur	3
agnoscunt	2
agnovit	2
ait	4
alia	17
aliae	2
alias	2
alicuius	2
aliena	12
alieni	2
alienis	8
alieno	7
alienos	5
alienum	15
alienus	6
alii	23
aliis	17
alimenta	2
alio	5
alios	15
aliqua	6
aliquando	32
aliquatenus	2
aliquem	2
aliquid	7
aliquis	11
aliquo	12
aliter	12
aliud	59
alium	12
alius	22
alter	8
altera	9
alteram	3
alteri	4
alterius	8
alternis	2
altero	2
alterum	16
altior	2
ama	6
amabilem	4
Amalech	5
amant	3
amantem	2
amare	11
amaret	2
amari	4
amas	5
amat	17
amator	3
amatur	2
amaveris	3
amaverit	3
amavit	2

ambobus	2
amen	11
amici	13
amicitia	5
amicitiae	18
amicitiarum	6
amicitias	10
amicitiis	5
amico	3
amicos	2
amicum	9
amicus	13
amiserat	2
amisit	9
amittere	2
amittit	3
amittunt	3
amnem	2
amo	3
amor	6
amore	10
amorem	9
amoris	4
amorreorum	4
amplectere	4
amplecti	2
amplius	3
amputa	2
amputare	2
an	10
ancilla	2
angeli	5
angelica	2
angelis	8
angelo	3
angelorum	3
angelos	7
anima	2
animadvertisti	3
animae	2
animal	2
animalia	2
animalium	2
animam	8
animas	2
animi	10
animo	13
animos	2
animum	5
animus	14
Anna	3
anni	2
annis	2
annorum	3
annos	4
annuntiat	2
ante	68
antea	3

antequam	8
anterior	2
antidoto	3
antiquis	2
antiquitas	2
antistes	2
aperiantur	2
aperiat	3
aperiri	2
aperit	3
aperitur	7
apostoli	6
apostolo	4
apostolorum	4
apostolos	3
apostolus	13
appareat	2
apparet	3
apparuit	2
appetis	2
appetit	2
appetivit	2
appetunt	2
aptatur	2
aptissimum	3
apud	43
aquarum	7
arbitrio	2
arbor	11
arbore	6
arborem	14
arbores	3
arboris	8
arborum	2
arbusta	2
arcana	4
ardescunt	2
ardet	3
ardores	2
area	3
arenae	2
arescit	3
arescunt	2
argenti	3
argentum	2
argumentum	2
aries	3
arma	13
armantur	2
armati	2
armatis	3
armatos	3
armatur	4
armatus	4
armavit	8
armis	8
armorum	7
arrogantia	2

arrogantiam	2
artifex	3
artificem	3
artificis	2
artus	3
aruit	2
ascendit	11
ascendunt	2
asciscere	2
asinus	2
aspectu	2
aspernatur	3
aspexeris	2
aspexit	2
aspiceret	2
aspiciat	4
aspicio	2
aspicit	5
assensus	3
assidue	3
assignat	2
assumit	3
at	17
atque	31
atrocissimum	5
atrociter	4
attende	5
attendit	2
attendo	4
attingeret	2
attribuit	3
attulerat	2
attulit	5
auctor	5
auctorem	20
auctori	2
auctoritas	2
audacia	3
audacter	3
audere	3
audes	2
audi	5
audiat	2
audierat	4
audieritis	4
audire	8
audiret	2
audiri	3
audis	3
audisset	2
audit	7
audito	2
auditor	3
auditum	2
auditur	9
auditus	2
audivi	2
audivit	5

augeat	2
augentur	3
augeret	2
augetur	3
augmenta	4
ares	4
auris	2
ausus	2
aut	363
autem	59
author	2
authore	3
authorem	5
authori	2
authoritate	3
autumnitas	2
auxilia	3
auxilio	4
auxilium	7
avertere	2
avertit	5
avertitur	2
avida	3
Babylonia	2
beata	4
beati	3
beatum	3
beatus	12
bella	11
belli	4
bello	13
bellorum	2
bellum	42
belvam	3
bene	6
benedicat	2
benedicit	2
benedicti	2
benedictio	4
benedictione	2
benedictionem	2
benedixit	2
beneficia	25
beneficiis	14
beneficio	2
beneficiorum	5
beneficium	8
benevole	2
benignitas	16
benignitate	5
benignitatem	4
benignitatis	6
benignum	8
benignus	7
bestiarum	2
bestias	4
bestiis	2
bis	3

blanda	3
blandimenta	3
blandimento	2
blanditia	2
blanditur	3
bona	12
bonae	3
boni	10
bonis	23
bonitas	16
bonitate	5
bonitatem	6
bono	7
bonorum	5
bonos	7
bonum	26
bonus	23
bos	3
boves	2
breve	2
breviter	2
cadavera	3
cadit	3
cadunt	4
caecos	3
caede	5
caedem	2
caedere	2
caeleste	4
caelesti	6
caelestia	5
caelestibus	6
caelestis	3
caelestium	4
caelis	3
caelo	5
caelorum	2
caelum	7
caeteris	2
caeterum	21
Cain	15
calcatur	2
callidus	2
calumnia	3
calumniam	2
camino	2
campi	2
campo	4
campos	2
canis	2
capere	2
captivare	2
captivatum	2
captivi	3
captivos	6
caput	6
carcere	5
carcerem	5

caritate	3
caritatem	3
caritatis	3
carius	2
carnem	3
carnes	2
caro	2
casibus	3
castitas	2
castitate	4
castitatem	3
castitatis	2
castra	2
castris	6
casu	2
casum	2
causa	44
causae	8
causam	10
causas	15
cautela	5
cautior	2
cautus	7
cave	2
caveamus	2
caveat	2
cavete	3
cecidit	2
cedant	2
cedit	3
cedunt	5
celare	3
celas	4
celat	3
celatur	3
celebrantur	2
celebrari	4
celebrata	2
celebratur	4
celerem	2
censorem	3
censura	7
censurae	2
censuram	2
centum	3
centurio	4
centurione	2
cepisti	2
cernebant	2
cernere	2
cernit	8
cernitur	2
cerno	4
certa	5
certabat	3
certamen	24
certamina	2
certamine	11

certaminis	2
certantes	2
certare	2
certe	7
certo	2
cessa	8
cessabit	2
cessant	3
cessante	2
cessantibus	2
cessare	2
cessas	2
cessasse	2
cessat	9
cesset	5
cetera	3
ceteris	6
ceterum	25
Chaldaei	7
Chaldaeorum	2
charitas	11
charitate	10
charitatem	5
charitatis	3
chrismatis	2
Christi	64
christiana	5
christianae	4
christiane	37
christiani	10
christianis	4
christiano	16
christianos	3
christianum	6
christianus	39
Christo	47
Christum	49
Christus	64
cibo	3
ciborum	2
cibos	3
cibum	5
circa	13
circumvenit	4
citius	4
cito	7
civitas	3
civitate	2
civitatem	7
civitati	2
clade	2
clamant	2
clamor	3
clamore	2
claritatem	2
claudi	3
clauditur	2
claudum	2

claudus	2
clausa	4
clemens	3
clementer	6
clementia	3
clementiam	2
clementissimus	5
coeleste	11
coelestem	3
coelesti	13
coelestia	12
coelestibus	10
coelestis	11
coelestium	2
coeli	3
coelo	6
coelum	26
coeperint	3
coeperis	2
coeperit	4
coepit	3
cogatur	6
cogit	5
cogita	6
cogitabat	2
cogitamus	2
cogitando	7
cogitare	5
cogitas	3
cogitat	9
cogitata	6
cogitatio	5
cogitavit	2
cogitentur	2
cogitur	5
cognoscam	2
cognoscat	3
cognoscere	2
cognoscerent	2
cognoscetis	2
cognoscis	3
cognoscit	3
cognoscitur	2
cognosco	4
cognoscunt	2
cognoverit	3
cognovi	2
cognovit	3
colere	3
colit	3
colitur	3
collata	2
collatae	2
collaudatur	4
collaudetur	2
colloqui	2
colloquia	7
colloquio	5

colloquitur	3
colloquium	2
coluerat	2
columbarum	2
colunt	3
comedetis	2
comestum	2
comestus	2
commendat	4
commendatur	2
commendavit	3
commeruit	3
comminantem	3
comminatur	4
commiseris	2
commisimus	3
commisit	4
commissa	5
commisso	2
commissum	2
committere	2
committerent	2
committitur	3
commoda	7
commodare	3
commodavit	2
commotus	4
commovetur	4
communi	3
communis	2
commutatur	2
comparari	2
comparatione	3
comparatur	4
compassione	2
compellit	4
compendium	2
compensare	2
compensat	2
compescit	3
competens	7
competit	3
comple	4
compleat	4
compleatur	2
complere	5
compleretur	3
complesset	2
complet	6
completur	3
complevit	2
compone	2
componit	2
compos	6
composuit	2
compotem	2
compotes	3
comprimit	2

comprobatur	2
comprobetur	4
conatus	4
conceperat	2
concepit	2
conceptum	3
concessa	2
concessam	3
concidit	3
concionatur	2
concipit	2
concipitur	2
concordia	3
concordiam	2
concupivit	2
condemnari	3
condemnat	5
condemnatur	2
condemnet	4
condidit	3
conditio	7
conditio	6
conditionem	7
conditioni	2
conduntur	3
conferat	2
confessi	2
confessio	17
confessione	14
confessionem	6
confessionis	7
confessores	2
confestim	5
conficitur	5
confidunt	2
confirmat	2
confitemini	5
confitendo	17
confitenti	4
confitentibus	3
confitere	3
confiteri	24
confitetur	5
conflictus	2
confligit	3
confundatur	2
congruit	2
coniuncta	4
coniunctio	2
coniunctus	2
coniungere	2
coniungi	2
coniungit	3
coniungitur	3
coniunxit	2
conquiescat	2
conquirat	2
conquiritur	2

conscientia	3
conscientiae	2
conscientiam	5
consecuti	2
consecutus	3
consensit	4
consensu	3
consensus	2
consentiant	2
consentire	3
consentit	3
consequi	2
conserva	2
conservant	3
conservare	2
conservat	3
conservos	2
considera	8
considerans	2
considerare	2
considerat	2
consideratione	2
consideravi	2
consideret	2
considero	5
consilia	7
consilio	11
consilium	17
consistat	3
consistere	4
consistis	2
consistit	10
consistunt	3
consolari	9
consolatio	2
consolatione	4
consolationis	2
consolatur	4
consortio	3
consortium	3
conspectu	7
conspexerit	2
conspicere	2
conspicerent	4
conspiceret	6
conspicimus	2
conspicio	4
conspicis	7
conspicit	11
conspicitur	2
constanter	4
constat	11
constet	5
constitit	5
constituat	3
constitue	2
constituit	17
constituta	4

constitutes	2
constitutum	2
constitutus	6
construitur	2
consueverant	2
consuevit	5
consulit	4
consulitur	2
consumet	2
consummat	3
consummato	2
consummatur	3
contagio	2
contemnantur	2
contemnat	3
contemnatur	3
contemnendo	22
contemnentes	2
contemnenti	4
contemnentibus	2
contemnere	9
contemneret	2
contemni	2
contemnis	9
contemnit	21
contemnitur	7
contemnunt	5
contemnuntur	2
contempserant	2
contempseris	4
contempserit	6
contempserunt	2
contempsisse	2
contempsit	25
contempta	4
contemptae	2
contemptam	2
contemptio	2
contemptor	12
contemptorem	2
contemptori	3
contemptoris	2
contemptu	13
contemptum	15
contemptus	26
contendat	2
contenderis	2
contendit	5
contendunt	4
contigerit	3
contigit	5
contingere	2
contingeret	2
continget	2
continuatim	2
continuo	2
contra	79
contractum	2

contradicit	2
contraria	12
contrariis	3
contrario	4
contrarium	7
contristatur	3
contristetur	3
contulerit	2
contulit	6
contumaces	2
contumacia	9
contumaciae	2
contumaciam	4
contumacibus	3
contumax	5
contumelia	2
contumeliam	3
contumeliis	2
convenient	2
conveniat	2
convenio	4
convenit	3
conversus	2
convertat	3
converte	2
convertit	4
convertor	2
copia	2
copulantur	2
copulare	3
copulari	3
copulatur	2
copulatus	3
copulentur	2
cor	8
coram	3
corda	3
corde	19
cordis	6
Corneli	2
Cornelio	2
Cornelius	5
coronam	2
coronat	2
coronatur	3
coronavit	2
corpore	4
corporis	12
corpus	19
correctos	2
correptio	2
correptum	2
correptus	2
corriganetur	4
corrigan	4
corrige	2
corrigere	4
corrigi	3

corrigit	6
corrigitur	3
corriguntur	3
corripit	2
crastinum	2
creatorem	5
creatori	3
creatoris	3
creatura	11
creaturae	7
creaturam	3
crebris	2
credat	2
credatur	2
crede	2
credendo	3
credentes	2
credenti	2
credentibus	5
credere	3
crederet	2
